

gationes aquarum vocavit Maria! Vide Barz. serm. 82. n. 2. & seq.) 2. Mariæ Nomen est salutare peccatoribus; S. Bernardus audeat quinque litteras Mariani Nominis comparare quinque sacris vulneribus, additque: *Si ingenti peccatorum multitudinem turbatis, Mariam invoca, & quietaberis.* (Vide Calamat. Mar. Disc. 5. f. 84.) 3. Mariæ Nomen potens est contra tentationes; in Canticis sub figura terribilis exercitus proponitur, qui ad pugnam instructus hostes repellit, ubi Cardinalis Hugo addit: *Ad ejus memoriam demones contremiscunt.* (Vide Calamat. Mar. Disc. 5. f. 85.) Sic in omnibus adversis Mariæ Nomen potens est auxilium. Sed illud maxime advertendum, ut reverenter tractetur, præsertim per amulationem puritatis; Non sine mysterio in illo textu dicitur, *Et Nomen Virginis Maria.* Cur non dicitur, Nomen Matris &c. Quia hæc duo semper conjugenda sunt esse Virginem, & vocari Mariam. Vide Paoletti in festo Nativ. n. 13. &c.

Peccatores pro impetranda venia ad Mariam confugiant.

3. *Invenisti gratiam apud Dominum.* Luc. 1. Utinam Christiani omnes, & præsertim Christiani peccatores revera agnoscerent gravitatem peccati mortalis, quo Deus O. M. injuriosissime offenditur! In quo ergo offenditur Deus! Ecce, infelix homo, dum peccas, contemnis Legem Dei, contemnis voluntatem Dei præcipientis, contemnis dominium & auctoritatem prohibentis, contemnis Misericordiam dehortantis, contemnis justitiam dominantis. Præterea summam ingratitudinem spiras erga Deum, cujus servitio te totum debes propter Beneficium creationis, conservationis, & Redemptionis! Vilipendis Passionem Dominicam, qua Redemptor tuus vitam, & sanguinem pro te dedit, atque in eius injuriam de novo in servitum diaboli, inimici tui crudelissimi te redigis! Eheu! enormia mala! quid modo agis? an veniam facile speras? Dubito ego! an veniam enim Misericordia Dei sit infinita, non tamen infinitæ sunt miserationes ejus! Quæris, an ergo desperabo? Non ita! Iteo tibi, ut asylum petaris apud Misericordiam Matrem, que est refugium peccatorum! si constatione, qua decet, maxima sub illius præsidium confugas, spero, non feres repulsam. 1. Quia

Maria est Inventrix gratiæ: *Invenisti gratiam!* 2. Quia ipsamet invitat peccatores: *In me gratia omnis viæ, & veritatis, Ego Mater pulchre dilectionis, timoris, & agnitionis.* 3. Sicut Rebecca non tantum famulo Eliezer, sed & juvenis illius potum dedit; ita Maria non tantum justis, sed & peccatoribus fontem gratiarum aperit, & sicut Abigail Davidi aquam dare voluit ad lavandis pedes; ita Maria peccatoribus imperat aquam lacrymarum. 4. Si dicis, timeo iram Dei offensi! Confide! hanc etiam placat Maria, & manum cohibet Filii ferire volentis, prout ipse Christus Dominus factus est Diva Birgitta: *Nisi Matris meæ procer intervenirent, non esset spes Misericordie!* &c. Huc igitur confuge, miser peccator, corde contrito, & humiliato patrocinium Dei Matris implorea! spero, quod tibi futura sit propitia, uti fuit Theophilo, & aliis peccatoribus! sed non sine tua emendatione; deploranda sunt peccata, fugienda occasiones, tollenda familiaritates; quia cum Beatissima dixit Sancta Birgitta: *Ego sum Mater peccatorum!* statim subjungit: *Emendare se volentium!* V. Tit. Patrocinium. B. V. erga peccatores, &c.

In Festo S. Georgii Martyris.

De estimatione gratiæ & amicitie Dei.

Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Jo. 5. Sicut palmes dependet a vite; ita homo a Deo! vitis communicat palmitti totum suum esse, succum, folia, fructus: ita Deus confert homini vitam corporis & anime, animæ cum memoria, intellectu, voluntate & omnibus potentis: corporis cum visu, auditu, odoratu, gustu & omnibus sensibus. Quid sequitur! illud sequitur, quod sicut palmes se totum debet viti, ita homo se Deo, ita ut eius gratiam, amicitiam ac benevolentiam supra omnia bona totius mundi amare & estimare debeat. Prosequamur comparationem! 1. Vitis non indiget palmiti; si abscedatur, illa semper vigorem suum retinens alium atque alium progeminare potest, palmes autem perit, & nihil retinet pristini vigoris, nihil est, quod illum defendere possit contra nimbos, nives & procellas. Ita Deus non indiget homine, nec quidquam boni ab illo recipit. *Quid prodest Deo, si justus suscipit.*

vis? Interrogat Job. Revera Deo nihil prodest, perierunt milliones Angelorum, perierunt milliones hominum! & quid Deo defecit? Nihil! in seipso felix est infinite, & felix erit in omnem æternitatem. 2. Vitis non tantum in palmitibus transfundit succum vitalem, sed illi actu ipso dat virtutem producendi fructum: ita Deus facit vi gratia; dum nobis inest, non solum tribuit posse operari, sed etiam velle operari fructus vite æternæ: ut Christus tanta cum emphasi hic dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Quid gloriaris mi Christiane dicens: Ego hanc orationem fudi, ego hanc elemosynam distribuisti, ego hunc actum amoris elucui! non est ita! Deus in actionibus omnibus tuis, ut ita dicam, salvo libero arbitrio & auctor est causæ, & effectus, &c. 3. Vitis, quamvis ut causa principalis uvarum fructus sibi vindicare possit, tamen hujus gloriæ etiam palmitem participem facit; ita amor, quo nos complectitur Deus, vult dona sua esse merita nostra, cupit illa nobis imputari, ut inde laudem, mercedem, & coronam referamus. Quis non amet gratiam & amicitiam Dei Optimi Maximi, qui dona sua nostra facit, ut nos gloria sua sibi soli debita coronet? &c. Vide P. Segneri Manna an. 7. Octobr. &c.

Quomodo quilibet Christianus Miles Christi esse debeat.

2. *Labora ut bonus miles Christi.* 2. Tim. 2. Tribus modis potest quilibet Christianus dici Miles Christi: Primo, quatenus pugnat contra Tyrannos, & hoc sensu quilibet Martyrum fuit miles fortissimus. Secundo, quatenus pugnat contra errores, sic milites sunt Doctores Præcones Verbi Divini, & alii similes, qui semper sunt intenti, ut configant nova hæresum monstra contra Ecclesiam confurgentia. Tertio, quatenus pugnat contra proprias cupiditates, atque adeo contra tres illos hostes, mundum, carnem & demonem. Credes forsitan ex his tribus militariis generibus solum tertium ad te pertinere, quod commune est omnibus? Non est ita! omnia tria sunt vitæ propria, etsi non semper occasio in omnibus tribus certandi occurrat. Videamus quomodo? qua ratione? 1. Apostolus non dicit: *Certa, sicut bonus miles Christi, sed labora, quia non semper est occasio certandi, sed semper occasio &*

necessitas laborandi. Boni milites nunquam sunt otiosi, sed etiam durante pace se exercent ad pugnam. Idipsum Christianus agit; etsi non adsint modo Tyranni contra quos vires suas ostendet, debet tamen imitari Martyres saltem simulato certaminis. Idcirco firmam seipsum conservet fidem, quasi neminem fore illum forsiter sustinere coram publico tribunali: assuescat contemneré vitam, quasi esse immolanda pro Christo: discat mortificare corpus, quasi nudum debeat exponere carnicum lanæne. Hoc est prælidium, quo si non perigas ad martyrium, saltem aspiras, &c. 2. Quamvis nunquam forsitan occasio futura sit, ut pugnes contra errores, & monstra hæresum, nihilominus ut bonus Christianus, quantum fieri potest, comparare tibi debes denteritatem resurgendi hæc monstra, quæ quotidie confurgunt contra Evangelii veritates. Perpende, quæ dictissima hoste dominentur in ipsis cordibus populi Christiani, ita ut pudor sit condonare inimicis injuriam, crebro confiteri, sciam Synaxin frequenter sumere, & quæ sunt alia! qua ratione igitur excusabis, si in promptu non habes scientiam saltem in his casibus deiectioni altitudinem se extollemem adversus scientiam Dei, &c. 3. Quamvis Mundus, caro, & demon adversarii nostri pacem interdum indulgeant, nihilominus excubandum est Christiano Militi ad venturum certamen. Solent subinde versuti hi hostes simulare inducias ad inducendum soporem, unde si unquam tempus esset standi magis sollicitum, illud est, quo tepus maxime securum, &c. Vera igitur est militaris regula, ita tueri arcem, quasi exercitus jam staret ad moenia. *Labora sicut bonus miles Christi!* V. P. Segneri Manna an. 20. Maii, &c.

Qua ratione oratio efficax fieri debeat?

3. *Petite & accipietis, querite & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Luc. 11. Quamvis Deus in se felicissimus sit, ita, ut nullius creature obsequio indigeat; tamen adeo liberalis est, ut dona sua, & divitiis petentibus offerat, imo vero nos ipsos ad petendum excitet, inquit: *Petite, & accipietis.* Cum igitur his diebus publica supplicationes & orationes in Ecclesia celebrentur, modum orandi, & hæcendi Deum, qui sub ipsis his vocibus continetur, explicabo. 1. *Petite,* sed humiliter, devote,

voce, attente, ac cunctanter, sine deperantia; quamdiu fluxus intra limites aquae confertus placide fluit, limpida aqua trahit. Cum autem evagatur, factus rapidior, limum & fordes colligit. Ita oratio. Quodsi illud Petite non sufficiat ad exorandum Deum. 2. *Querite*, id est, socios adhibete Sanctos, qui modum commoventi Deum dudum invenerunt, quales sunt S. Angelus Custos, Patroni nominis, Patres, aut Ecclesiae, praecipue Sanctissimae Dei Genitricis Mariae. Proderit & preces conjungere cum aliis fidelibus, quia vis conjuncta fortior. Quodsi Deus necdum exaudiat. 3. *Pulsate*, id est, precibus adjungite elemosinas, jejunia, mortificationes, aliaque pia opera; in his enim consistit illa importunitas, seu improbitas, propter quam amicus etiam nosu surget, & dabit amico pulsanti panes necessarios, prout asserit in parabola Christus, &c.

In Festo Ascensionis Domini.

Qui ascendere vult cum Christo, a vitiiis immunitus sit.

1. **A**sumptus est in caelum, & sedet a dextris Dei. Marc. 16. Delirat Mundus, dum altam sibi viam in caelum quaerit praeter illam, quam Christus praevit; sunt, qui sibi persuadent, se posse hic gaudere cum saeculo & sibi regnare cum Christo, & ideo per omnem vitam deliciis, divitiis, & vitiiis plena cum voluptate fruuntur, putantes, cum ad mortem deventura fuerit, propter unicum cordis suspirium sibi portam caeli ad cardines usque aperendam esse. Falluntur miseri! Redemptor noster in his terris commoratus non tantum docuit, quae credenda sunt, sed suo etiam exemplo commonstravit, quae agenda sunt! qui ergo Christum in monte Oliveti captum & ligatum, acque in monte Calvariae vulneratum ac crucifixum fugiunt, qui flagra, spinas, & crucem navitant, frustra sperant, quod hodie Christum ascendente comitari possint! audiunt Augustinum clamantem: *Cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro.* Opera pretium est, ut hinc veritati magis, magisque aures, & auiem demus! 1. Non est fere peccatum tam universale in mundo, quam superbia: Protoparentes, ut primum audierunt, Eritis sicut Dei, propter appe-

titum excellentiae comederunt de ligno. Ex eo maledicti hujus peccati radicem in posterum propagarunt; quis enim est tam abiectae mentis, qui sibi non in seipso complaceat? Neque solum hoc vitium adhaeret purpurae, sed etiam laciniis, eo fere modo, quo spica, quanto magis sunt vacuae, tanto altius caput erigunt. An hi possunt cum Christo ascendere in caelum? Abici! Augustinus clamat: *Cum Christo non ascendit superbia.* 2. Post superbiam totum fere mundum inficit avaritia: a majori usque ad minorem omnes avaritia student, ait Jeremias, numerum agricolae, mercatores, sacerdotes (Vide Barz. ferm. 14. n. 26. Serm. 23. n. 39. ferm. 71. n. 19. &c.) Nemo quidem vult esse avarus, & tamen nihil crebrus, quam aliena bona invidiosus aspiciere, suo non contentum vivere, erga pauperes esse austeros & tenaces! An hi & his similes Christum hodie comitari poterunt! Nihil minus! clamat iterum Augustinus: *Cum Christo non ascendit avaritia.* 3. Praeter haec vitia totum mundum conspurcat luxuria, ita ut hic non diluvio purgari deberet. Sciunt hoc Superiores, Patresfamilias & parentes in liberis & subditis suis, & tamen dum vident, ridet. Nemo est qui restringendo impuro incendio operam adhibeat. An hi spem concipere possunt comitandi Christum? Nihil minus! iterum clamat Augustinus: *Cum Christo non ascendit luxuria!* Vita Christi fuit mera Humilitas, paupertas, & sanctitas, igitur concludit S. Augustinus: *Nullum vitium ascendit cum medico nostro!* Prius emendanda sunt haec vitia per sermone, & austeram poenitentiam! Vide Barz. ferm. 54. §. 2. & seq.

Ad caelum necessarium esse credere, orare & pati.

2. *Qui ascendet in montem Domini, aut quis habit in loco sancto ejus?* Ps. 23. Eo tempore, quo Beatissima Virgo, & Dei Mater Maria post ascensionem Divini Filii sui in terris superstes vixit, dicitur ad sanctum Ignatium Martyrem, ad urbem Messanensem in Sicilia, Florentiam in Italia alioque populos scriptis Epistolae, iisque saluti monita dedisse. Inter alia Florentiam his verbis admonuit: *Tene fidem, in sa orationibus, roborare patientiam; his enim aeternam salutem apud Deum, & apud homines gloriam consequeris.* (Vide Adamum Weberum in Arte

Ante Discurrendi fonte 30. Exempl. 4.) Mi Christiane, dum hodie Divinum Redemptorem ad caelum redire vides, certe cum Psalmographo interrogas, *quis ascendet in montem Domini?* quid agam, ut ascendente secure sequi, & salutem consequi merear? Non possum tibi prescribere vivendi regulas magis salutare, quam has ipsas Beatissima Virginis. Agge, attende! 1. *Tene fidem*, sanctam, & puram illam, quam Christus per Apostolos toto orbe propagavit, & Ecclesiae custodiendam tradidit, & hanc quidem tene consensu & obedientia caeca: noli abripi novis sectarum deliriis, praesertim hoc saeculo, ubi plena rebellat in rebus fidei sentiendi libertas &c. (Vide Tir. Peccata contra fidem.) 2. *Insta orationibus*; precibus enim assiduis expugnatur caelum. Neque opus est, ut tota die Rosarium, aut libellum precatorium manu teras; potes enim quotidiana Vocationis tuae opera per sanctam intentionem adeo reddere meritorea, ut Deo non minus, quam orationes placeant. (Vide Tir. Oratio, Bona intentio.) 3. *Roborare patientiam*; illi enim, qui pie in Domino volunt vivere, persecutionem patienter non deunt afflictiones, calumnias, injustitias, inopia, morbi, & alia mala, tu invicta mansuetudine omnia sustine, & cum amarissima passione, ac morte Redemptoris unita, Deo offerre ac condona. Vide Tir. Patientia, Adversitas &c.) Sic verificabitur promissio Beatissima Virginis: *His aeternam salutem apud Deum consequeris, &c.*

Caelum obtinetur agendo, & patientia.

3. *Viri Galilei, quid statis aspicientes in caelum?* Apor. 1. Stare, & aspiciere sursum, non est remedium sufficiens ad expugnandum caelum! Peregrinus Romanitendens, si in itinere solum in considerandis, & admirandis urbibus, quas pertransit, morari vellet, Romam non attingeret: ita qui tantum otiosi, & sine ulteriori conatu opera Dei contueri volet, ad Deum non perveniet. Regnum Dei vni patitur, & violenti rapiunt illud! Christianus volens cum Christo ad caelum ascendere, debet esse laboriosus & violentus. (Vide Speranz. pun. 78.) In quo consistit haec violentia? Consistit in his duobus principiis, *Bona facere, & Mala pati!* Ita Philo Carpatius. Dilucidemus hanc Veritatem. 1. Homo Christianus pro lucrando caelo *Bona age-*

re debet. Berardino comparatur monti, *quis ascendet in montem Domini?* & quidem monti supremo in vertice montium, prout loquitur Bernardus, quia omnes felicitates continet. Mons autem non scanditur sine conatu, sine anhelitu, sine sudore (Vide Mich. a Calvo conc. 12. s. 1. n. 8.) Qui seander vult in caelum per singulos gressus merita augere, quotidie, & continuo per facias intentiones jaculatorias ad Deum aspirare, & etiam proximo, ubicunque se offert occasio, benefacere debet, &c. 2. *Malum Christi-*

In Festo SS. Apostolorum Philippi & Jacobi.

Christus Dominus est nobis via, veritas & vita.

1. **E**go sum Via, Veritas & Vita. Jo. discipulos ver. gr. in Musica instrum, non solum legibus & regulis illos imbuunt, sed praetice ipso exercitio illis praesunt, ut non tantum auribus audiant, sed etiam oculis videant, quomodo v. gr. in organo pulsando nunc stricium nunc cursum tonos cispitare, & una manu cum altera ad concordiam & mensuram correspondere debeant. Dominus Deus in Veteri Testamento hominibus solum regulas ac leges per se, vel per Prophetas dedit: in novo autem nescit Filium suum, ut in ipsa praxi virtutis exercitum, & salutis meritum nos edoceret; hinc dicit de seipso Christus: *Ego sum Via, veritas & vita*, supra quae verba S. Bernardus ait: *Sequatur Te Do. s. Berni mine per te; quia tu es via in exemplo, ser. 2. do Veritas in promisso, & Vita in praemio.* Explicemus trimembre estatum, ut doceamur secure pertere ad finem nostrae salutis. 1. Christus est nobis *Via* in *Exemplo*: inquit hic oculi terraque Dominus, in mundum veniens non sumprema dignitatem fastigia, nec regum palatia, sed stabulum pro nativitate, & crucem pro morte elegit, ut doceret nos ama-

Philo
Carp. in
ca. 1. cont.

D. Claus Spicil. univ. ser. III.

amare mansuetudinem, humilitatem, paupertatem, & mortificationem amare, atque transitoria contemnere, & aeterna sedari. *Christianismus*, ait Greg. Nyssenus, est imitatio Divinae naturae, quam omnes Sancti imitari sunt: S. Catharina Senensis, cum Christus illi auream & lebravinum, cum Christus illi auream & spinam coronam obtulit, hanc pra illa elegit, &c. 2. Christus est nobis *Veritas in promissis*. Quid ergo promissit? Promissit assistentiam & gratiam imitantibus se, & aeterna quaerentibus, atque ha promissiones tam firmas & insalubiles sunt, ut etiam in calibus desperatis non deficiant. S. Carolus Borromeus monuit, ut cessaret a reformatione alicujus congregationis propter infidias mortis, quae ipsi struerentur, reposit: quin imo non cessabo, quia causam Dei ago! unde meruit ab explosione sclopeti manere illatus. *Jota unum, aut unus apex non praeterit.* (Vide Titul. Spes.) 3. Christus est nobis *Vita in premio*; ideo in hodierno Evangelio fidem suam obstrinxit Apostolis: *Vado parare vobis locum, ut ubi ego sum, & vos sitis.* Non deerit timentibus se, imitantibus se, sperantibus in se, & amantibus se, sed illos ut fideles famulos ad aeternam retributionem assumat ad se! *Sequamur te Domine per te*, &c.

Bona opera nostra saepe deficiunt.

2. *Qui credit in me, opera, quae ego facio, & ipse faciet.* Joann. 14. Vernalis hoc tempore natura amenissime reviviscit, agri & campi revirescunt, & praesertim flores in arboribus ad delectationem oculorum ubertim protuberantes, poma & fruges in autumnum magna in copia promittunt. Verum o quot flores per ventos, per pruinas, per vermes & culices emarescunt, antequam ad fruges maturefiant! Par ratio se habet cum piis, seu meritoriis operibus, quae quasi femina seu flores sunt ad colligendas beatæ aeternitatis fruges. Sunt laudabilia, sunt Ecclesiae utilia, sunt Deo grata, sunt a meritis Christi dignificata. Verum o quam facile corrumpuntur, & defectuosa sunt, ita ut ad fruges aeternae salutis non maturefiant. Inhæreamus huic comparationi; & loquamur de uno vel altero defectu singillatim! 1. Flores arborum emarescunt, si ramus, e quo pendunt, exsuccus, aut terra sterilis reddatur. Ita

opus de se bonum merito caret, si Dei gratia deficiat: Deus primum quinta die benedixit mundo creato: cur non jam antea? Quia antea necdum productæ sunt creaturæ animatæ: vivere debuit, quod benedictionem Divinam meruit. Ita opera nostra vivunt necesse est, si benedicti a Deo mereantur. (Vide Barz. ferm. 46. num. 22.) 2. Flores arborum deiciuntur per ventum impetuosis, pruinas, grandines, aut alia extrinseca mala supervenientia; Ita bona opera sepe suum meritum perdunt ob finitram intentionem supervenientem. Rex Jehu mandatum accepit a Domino, ut familiam Regis Achab funditus extirparet: fecit, quæ iustus est, & tamen iratus postea Dominus in has minas erupit: *Vistabo sanguinem Jezabel super domum Jehu!* quia de causa! quia extirpationem familia Achab non tam profectus est, ut mandatum Dei exequeretur, quam ut sibi ipsi regnum stabiliret &c. 2. Flores arborum decidunt, antequam maturefiant, quia intus insectus verminant, aut putrescunt: ita bona opera merito carent, quia ex malo, aut proflus inani sine procedant. Gentilis princeps Sicheus ad Judæicam legem transit, & circumcidi se passus est: an amore veræ Religionis? Non ita, sed amore Dinæ Jacobi filie, quam deperbat, &c. Vide Barz. ferm. 25. n. 30. &c.

De magnitudine celestis præmii.

3. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Sanctus Symphorianus Adolescens, dum in arena Martyrii sub manibus lictorum contremiscere & trepidare videretur, a Matre his verbis animatus est. Nate suspice caelum, tibi non eripitur vita, sed in meliorem mutatur! Et ecce! his verbis adeo confortatus est juvenis, ut tormenta, vulnera & ipsam mortem cum risu exceperit. Mi Christiane, quid inordinate conquereris de tribulationibus & ærumnis, quas in mundo patitur? Suspice caelum, & hic aspectus mihi tibi adiciet fortitudinem pro Deo, pro calido ferendi acerba omnia! Quæris, quid ergo mihi est in calido? quam recedem accipiam pro adversis, quæ patior? Ego ex me par non sum dandi responsum, sed indagemus, interrogemus! 1. Quam magna sit cæli gloria, defumi potest ex hoc visibili mundo, cujus ex serum varietate, ordine, proportionem, fertilitate, & connexione tanta est pulchri-

chritudo, ut multi eius inhabitazione in perpetuum vellent esse contenti: & tamen exilium est, vallis lacrymarum est, domicilium tam bonis quam malis commune est. Quid erit palatium caeleste solis Dei amicis preparatum? (Vide P. De-gneri par. 2. disc. 19. n. 4.) 2. Quam magna sit cæli gloria, testantur Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & omnes Sancti, qui immensos labores, tormenta, penitentiae austeritates, fletus, jejunia, morbos, ipsamque mortem pro illa exanclantur. (Vide Tit. Sancti.) 3. Quam magna sit cæli gloria, defumitur ex Passione Christi Domini: nonne si videamus Mercatorem, qui omnia venderet, ut emeret margaritam, diceremus hanc esse pretiosissimam? Christus pro cælo dedit omnia, vitam & sanguinem, & quidem maximos inter dolores. (Vide Barz. ferm. 73. num. 10.) 4. Denique quam magna sit cæli gloria, interrogemus ipsum infernalem spiritum: ille B. Jordano factus est, si posset unico momento faciem Dei intueri, quod vellent libenter omnium damnatorum tormenta usque ad diem iudicii solus sustinere. (Vide Tit. Beatitude.) En! mi Christiane, caelum non donatur, sed venditur, *Unde tu delicatus es miles*, ait S. Chryostomus, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare! Exere vires, dimica atrociter, in prelio isto concerta, considera passum, conditionem at-tende, militiam noxæ, passum, quod spondisti, conditionem, quam accessisti, militiam, cui nomen dedisti, &c.

S. Chry-
ser. de S.
Mart.

In Festo S. Joannis Baptistæ.

Quomodo lingua utiliter & meritorie usurpanda sit.

1. *Ego vox clamantis in deserto.* Jo. 1. Inter omnia prædicata, quibus Sancti Patres Joannem Præcursorem Dominiantquam Apostolum, Martyrem, & Prophetam ornant, & deprædicant, illi sibi unicum reservavit, inquit: *Ego vox clamantis!* ad nostram certe instructionem, ut dicamus voce, seu loquela utiliter & prudenter uti, prout Deus & natura requirunt: Audiamus Cardinalem Hugonem, qui dicit, loquelam homini datam esse in triplicem finem: 1. *Ad laudandum Deum!* sic S. Joannes semper laudavit Deum, & gloriam ejus, potentiam, ac Bonitatem deprædicavit: inquit: Veniet fortior post me, cujus

non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere. Mi Christiane, examina vitam tuam, an hæctenus usus es lingua ad laudem Dei? qua diligentia, & attentione persolvisti preces? qua gratitudine compensasti beneficia pro omnem vitam accepta? An non potius abusus es lingua ad sacramento, ad querimonias contra Deum in ærumnis & adversitatibus, &c. 2. *Lingua data est ad edificandum proximum!* sic S. Joannes redarguit Herodem adulescentem: *Non licet tibi!* Et in Phariseis invectus est: *Progenies viperarum!* Dic Christiane, quæ monita salutis dedisti proximo? an illum fraterna correptione ad virtutem adhortatus, & a vitis dehortatus es? An non potius in convitiis, in calumniis, in imprecationes linguam strinxisti? &c. 3. *Lingua data est ad accusandum seipsum:* Sic S. Joannes ut in nocentissimus, & omnis noxæ expertus non erubuit fragilem se arundinem vocare. Quid tu? an humiliter reum te agis multorum errorum? Nihil minus! ambitiose te cedam jactans, opera tua cum plausu extollis, male facta occultas, & in ipso etiam sacro tribunali delicta extenuas, excusas, oppallias, &c. Corrige te ipsum, & operam da, ut merearis laudem illam, quam Christus Dominus dedit multo sanato: *Loquebatur recte!* &c.

Impii, ut ut prospere vivant, felices non sunt.

2. *Quis putas puer iste erit? ætenuis manus Domini erant cum illo.* Luc. 1. Bone Deus! quam inversum ordinem hodie iterum in mundo invento? Video in loco iudicii impietatem, & in loco iustitiae iniquitatem! Video, Herodem in solio, Joannem in ergastulo! Herodem in delicatis, Joannem in angustis! Herodem inter epulas & luxum, Joannem in esurie & luctu! Itane semper premitur virtus, & impietas triumphat? Sed macti animi delicta Christiani, qui inter ærumnas vivit! Nolite impiis videre suam felicitatem! ostendam hodie, cur impius in hoc mundo prospere vivat, & certe ad finem concionis malletis cum Joanne inter persecutiones vivere, quam cum Herode inter aularum plausus! (Vide Barz. ferm. 32. s. 4.) Impii in hac vita prospere vivunt, 1. Ut Deus illis compenset aliqua bona opera, quæ non obstante vita sua seclerata utnunque operati sunt; hunc in sensum dixit diviti Epuloni: *Recepisti bona in vita tua:*

Z 2 Sunt.

Sunt multi hæretici, qui tamen in publico ad edificationem aliorum sunt modesti: sunt usurarii, qui tamen nonnunquam erga egenos sunt liberales, sunt luxuriosi, qui tamen fuit iustitia tenaces; cum igitur Deus hæc opera æterna mercede coronare non possit, compensat temporaliter. 2. Impii prospere vivunt, sic volente Deo, ut non habeant excusationem, se non potuisse elemosynas facere, miseris succurrere, orphanos iurare: Ideo Christus Dominus Judæ tradidit mansupium, ait S. Ambrosius, ut dicere non posset, se ex inopia compulsus fuisse ad proditorem. (Vide Barz. ser. 32. s. 5.) 3. Impii prospere vivunt, ut Deus illis suam indignationem, & brevi post seculatam vindictam ostendat. Nempe tribulatio & mala temporalia sunt signa, quod Deus peccata hominis Christiani in hac vita plectere, illicque in altera vita parere velit. Cum ergo peccator in hac vita patitur, cumque temporaliter felicem facit, satis aperte indicat, quod illum æternaliter felicem reddere nolit, cum fere in modum, quo lanio bovem in stabulo, & pascuis agnam, ut paulo post illum ad macellum ducat. Præsertim nos Deus a prosperitate impiorum. Det nobis adversitatem iustorum. Vide Tit. Peccator: Item Adversitates, &c.

Quomodo Christianus erga seipsum, erga proximum, & erga Deum habere se debeat, ut sit magnus coram Domino.

3. Erit magnus coram Domino. Luc. 1. Magnum esse coram se ipso, aut magnum esse coram mundo, non est eximia laus; quia hunc titulum multi Principes, quamprimum aliquid supra plebem operati sunt, voce populi obstruunt. Verum magnum dicit coram Deo, in cuius conspectu totus orbis se habet velut guttula rosæ anelucani, hæc est laudis excellentia, qua major excogitari non potest. Atque hoc laudis encomium convenit Sancto Joanni iuxta verba Evangelii: *Erit magnus coram Domino!* Hæc illi non unam, sed plurimas laureas, Doctoris, Virginis, Martyris, Prophete, Heremite, Apostoli, Præcursoris & Baptiste Christi, fuitque ac dicitur vere *Splendor Sanctorum*; quia omnes sanctitates continet, sicut adamas pretium omnium unionum. (Vide Courinno in Mariall tract. 1. conf. 4. n. 12.) Videmus, an non zemulari quodammodo possimus virtutes S. Joannis, ut cum tempore Magni an-

diemur in iudicio! 1. Quomodo S. Joannes se habuit *Erga seipsum*? Quamvis fuerit sanctissimus, tamen de se humillime sentiebat: comparavit se inani voci: Ego vox clamantis! Loquens de venturo Messia confessus est: non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius. Quid tu, mi Christiane, de te ipso sentis? Eheu! adhuc parvulus jam te ipse magnus peccator! corpore tenus in momenta singula morbis & morti obnoxius es! anima tenus in memoria debilitarem, in intellectu ignorantiam, in voluntate fragilitatem & malitiam circumfers, & tamen cervicem erigis, amator & astimator tui ipsius! &c. 2. Quomodo S. Joannes se habuit *Erga proximum*? Zelotissime! in sceleratos aultere invecus vocavit Progenies viperarum! Peccatoribus publicis exprobravit scelera: Non licet tibi omnes status in suo munere injuxit! Quid tu, mi Christiane, ad emendationem proximi contulisti? Si Superior es, quomodo subditos, æquales, filios, & domesticos a via perditionis revocasti? nonne mutus canis es, nesciens latrare ad latrocinia animarum? &c. 3. Quomodo S. Joannes se habuit *Erga Deum*? Devotissime! in ipsa Nativitate linguam Zacharie solvit in laudes Dei! Populis Mundi Redemptorem digito demonstravit: Ecce Agnus Dei. Quid tu, mi Christiane, hæcenus ad Dei gloriam contulisti? Eheu! tepidissimus es, ad tua solum, non Dei commoda intentus! &c. Eja imitemur humilitatem, zelum, & sanctitatem Joannis; conemur fieri magni coram Deo! &c. Vide Corn. a Lap. lta. c. 49. num. 3.

In Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Converso Mundi optimum veritatis hæc argumentum.

1. **T**u es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Matb. 16. Non semper contra vitia tonandum, nec virtus semper suis encomiis extollenda est. Deus mirabilia opera exercuit, quæ etiam pie contempleri, & admirari interdum debemus, præsertim tunc, cum Festa Sanctorum colimus, quorum opera providissimus, ac potentissimus Deus ad mirabilia patranda usus est: inter hæc præcipuum est, mundi ad fidem Christi conversio, quæ certe Apostolorum, & inter hos præcipue SS. Petri & Pauli tanquam Prin-

Principum opera præstita est. Sinite, ut in hoc prodigio tria singulariter admiremur. Primo: Abyssum profundissimum scelorum, in qua jacebat mundus. Secundo, sublimitatem illius gradus ad quem evehctus est. Tertio, Apostolorum quorum opera conversus est, virium impotentiam. Agite! Dei potentiam, & providentiam adoremus. 1. Consideranda venit profundissima abyssus scelorum, in qua jacebat Mundus! uno dempto Judæ angulo regionis alie omnes densa noctis caligine erant obrutæ: pro vero Deo adorabant crocodilos, serpentes, dracones, iisque thura adolebant, idque etiam sapientissimi ethnicorum non tantum faciebant, sed etiam alios docebant, credendum ut solet, vivendum ut lubet: O quantum vitiorum turpitudinem hæc principia post se trahebant! absurdissimos idololatriæ ritus pro sacrificiis habebant: *Qualia sunt sacrilegia*, exclamat Augustinus, *si ista sunt sacra*? 2. Ex hoc scelorum barathro extrahendus erat Mundus! qua machina? Sanctæ Crucis. Et quo? ad supremam apicem veritatis, & sanctitatis. Et vero hos fines assecutum fuisse Christum, testimonio est vita primorum Christianorum, qui vel ab hostibus sancti & iusti vocabantur: ea erat in iis fidei constantia, ut non jam martyres carnificibus, sed carnifices martyribus deessent. Tanta celeritate mutatus est mundus, ut faculo tertio jam non esset locus, in quo Christiana Religio non floreret. 3. Quamvis fuere Evangelici Præcones, quorum ministerio peracta est Mundi conversio? fuere duodecim Viri, infirmi, indoliti, inopes, & plane ea auctoritate non præditi, quæ ad tantum opus requiri videbatur. Mingamus, totam Europam a duodecim militibus fuisse oppugnatam & subjugatam, qui crederet rem tam incredibilem? & tamen certum est, non corpora sed animos a duodecim piscatoribus fuisse expugnatos & conversos, id quod nemo alius quam Deus potuit sua potentia executioni mandare, &c. Quid certius & evidentiis poterit pro veritate Christianæ Religionis adduci? Nullus hic contradicere, ait S. Chrysolomus, nisi insanus & stupidus sit. Vide P. Segneri incredul. non Execul. part. 2. c. 9. Item Manli Biblioth. Tit. Fides disc. 17. & 21.

Lapsus Petri ex quibus causis ortus.

2. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Matb. 16. D. Claus Spicil. univers. Pars III.

Cum Petram nomino merito & homines iusti & penitentes contremiscant! quid enim terribilis? Primpilms Apostolorum, qui plus ceteris sapere, & exemplo sanctitatis præire debuisset, in atri Pontificis turpissime cadit, Divinum Magistrum negat. Quis non metuat? sicolumna sternitur, quid arundinis fiet? si caput aureum evertitur, quid lutei pedes timeant? Agite, indagemus in causis hujus lapsus, ut cavere didicamus! 1. Petrus turpiter lapsus est, quia præsumpsit in suis viribus: *Etiamsi omnes, non ego!* (Vide Barz. ser. 60. n. 9. Et ser. 58. s. 9.) Quidam dum ad sublimiorem virtutis gradum ascendunt, id omne suæ industrie adscribunt: hos Deus cadere permittit, ut agnoscant suam infirmitatem, &c. 2. Petrus turpiter lapsus est; quia in domum periculolam introivit: vidit ad ignem confidere effrones lixas & calones, audivit risus, nugas, & immodestiam, & tamen non metuit vitiorum contagium. Sic multis contingit, qui adeant pericula aliis perniciosa, cum in modum, quo nauta se conicit in pereundi periculum, dum navigio accedit ad scopulos naufragis infames. (Vide Tit. Præsumptio de suis viribus.) 3. Petrus turpiter cecidit, quia ab ancilla introductus est; quid boni sperare potuit a femina, imo quid non mali timere? *Memento*, ait S. Hieronymus, *quod paradisi colonum de possessione sua eiecerit mulier*. Vide Tit. Consortium cum muliere. Item P. Segneri part. 2. disc. 16. n. 19. O! quisquis cum Petro lapsus est, cum Petro penitentiam agat! &c. Vide Speranz. de Pass. Dom. punct. 10.

Fides Catholica quibus de causis deficiat.

3. Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & post e inferi non prævalebunt adversus eam. Matb. 16. Quis Christianiorum non sanguinem fere lacrymis deploret, quod sancta salvifica fides a Christo Domino fundata, & a SS. Apostolis Petro, & Paulo cum ceteris Coapostolis per universum orbem propagata, iam a prolixo factis tempore deficiere, & heterodoxorum sectæ de die in diem magis magisque crescere videantur? Maxime orbis partes America, Asia, Africa in Mahometanis, & gentilibus tenebris cæcitant. In Europa Anglia a Catholica fide recessit, Gallia turbatur Janensismo, in Romano Imperio Lutheranismus & Calvinis-

nifimus quotidie incrementa fumunt: Romana oracula despicuntur, videturque desisse promissio Divina: *Porte inferni non prevalebunt.* Quæ causa tanti decrementi? & quod mali remedium? Inquiramus in causas, emendamus quæ emendanda sunt. 1. Prohdolor! videtur Deus recedere a nobis, quia nemo, aut paucissimi sunt, qui pro ineffabili Beneficio Vocationis ad salvificam fidem grates Deo debitas rependant. Quis est, qui grato animo recolat: Deus potuisset me rejicere inter Americanos, inter Africanos, & Asiaticos Idoloratras? elegit me præ mille aliis, ut a Catholicis parentibus naberer, & in gremio sanctæ Ecclesiæ educarer! Quis est, qui toto anno huic gratitudini vel unicam diem confecerit? (Vide Tit. Beneficium Vocationis ad fidem.) 2. Deficit sancta fides, quia quilibet natulus sibi novum, quod placet, fidei sistemã confingit, de veritate Scripturæ dubitat, ad Syncretismum, aut Atheismum provocat, & bonos Catholicos, qui sinceritatem fidei profitentur, tanquam simplices idiotas explodit. (Vide Tit. Hæresis, Hæretici.) 3. Deus gratiam fidei subtrahit, quia multi legibus fidei adeo difformiter vivunt, ut has, tanquam repagula vitiorum suorum, quibus assueverunt, eliminata cuperent. In negotiis & commerciis innotunt Machiavellicis principiis, peccata pudicitia contraria prolicitis jactant, adversus tolerandis adeo non assueverunt, ut propter exiguum persecutionem ad castra heretodoxorum convolent. Quid mirum quod Deus gratiam fidei subtrahat; hanc enim certe scimus de regione in regione migrasse obpeccata incolarum, &c. Vide Tit. Fides, &c.

In Festo S. Mariæ Magdalenz.

Penitentia est necessaria, austera, & constantis.

1. *Lacrymis cepit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat.* Luc. 7. Tanta est penitentia virtus & efficacia, ut peccatorum vere compunctum, redintegratis, quæ peccato perdidit, meritis, non tantum in pristinum amicitia Divinæ gradum, sed fere dixerim, majorem restituit: sic Nabuchodonosor post penitentiam recuperavit regni honorem: De filio prodigo dixit pater: *Proferre statim primum!* Et Petrus post suas lacrymas Apostolice Collegii Princeps con-

stitutus est. Hæc cum ita sint, quæ causa est, quod tam multæ dentur Magdalenz, & non multæ penitentes! cur penitens, qui hodie pacem cum Deo facit, cras iterum ad castra demonis tranfit? cur lascivus, qui hodie teclera deslet, cras desclenda reiterat? Nimirum hoc ideo fit, quia miseri necessitatem, dignitatem, qualitates, & effectus penitentia hæud satis perpendunt. Explicabo aliquas hæc ex parte veritates, & sancta principia eaque fere omnia exemplo S. Magdalenz confirmabo. Attendite tepidi Christiani! Primo sciendum est, penitentiam post relapsum esse indispensabiliter necessariam; prima navis, quæ homo ad portum salutis vehitur, est innocentia, hanc si perdidit, penitentia est secunda post naufragium tabula. (Vide Barz. Sermon. 7. n. 7.) Et quidem penitentia tam interna, quæ in mœnore animi, quæ externa, quæ in emendatione morum consistit. Putant aliqui, se satisfecisse, si Sacerdoti peccata confessi sint. Errant maxime! contrarium edocentur in penitentia Sanctorum, & præcipue S. Magdalenz, quæ est de venia fuerit certa, tamen deslere peccata non cessavit usque ad mortem. (Vide P. Segneri par. 3. disc. 19. n. 2. & 11.) Secundo sciendum, penitentiam non esse debere qualemcunque, sed austera, quæ etiam quantum fieri potest, tollit proclivitatem ad malum; hinc assumit voluntarias penitentialitates, quibus etiam inimicæ passionis animi compescuntur. Princeps otiosus, & negligens non curat petulantiam rebellium in suo regno: Qui autem vere amat patriam, irascitur, & cum exercitu rebelles opprimere studens nec sumptibus, nec sanguini parci. *Homo penitens, est sibi irascens,* ait S. Augustinus. Exemplum iterum habemus in S. Magdalena, & aliis penitentibus. (Vide Tit. Penitentia. Et P. Segn. disc. 19. n. 17.) Tertio sciendum, hæc penitentia non debet esse momentanea, aut diurna, sed constantis, & perseverans: S. Magdalena etiam ex ore Divino audivit, dimissa sibi esse peccata, tamen in solitudine per triginta annos produxit penitentiam. Idem fecerunt S. Maria Aegyptiaca, S. Guillelmus Aquitanica Dux, S. Pelagia & alii, &c. (Vide Tit. Penitentia.) Jam non amplius interrogo, cur tam multæ penitentes nullos emendationis fructus post se trahant: nempe, quia non habent has qualitates! &c.

Pæni-

Penitens debet opprimere passiones, sugere occasiones, & se ipsam punire.

1. *Lacrymis cepit rigare pedes ejus.* Luc. 7. Post extirpatas herbas venenosas solitius est hortulanus, ne ille radices in terra reliquerint, & de novo refulsulent. Post pestem sopitam fumigantur ædes & cubacula, ne virulentus vapor remaneat. Post incendium extinctum, indagatur, ne scintilla adhuc gifficat, in novas flammâs eruptura. Has omnes industriâ adhibere debet penitens, ne semen peccati extincti supersit. Loquamur speciatim, & omnia iterum in S. Magdalena exemplificemus! 1. Verus penitens curam habere debet, ut mactet, & enecet inimicæ animi passiones, juxta illud: *Sacrificate sacrificium* hoc fieri de S. Remigius ait, sacrificium hoc fieri de medio tollendo taurum superbis, hircum lasciviz, lupum avaritiæ &c. sicut enim sol, est ex egypti emergat, tamen non simul malignos effectus ab egypti casatos abstergit; ita licet confessio peccatum remittat, non tamen pravos habitus extinguit. Salubri ergo rigore opus est, id est satisfactoris penitentialibus, quibus tolluntur peccatorum reliquæ, prout loquitur Tridentinum. (Vide Spera. punct. 107. Et P. Segn. disc. 19. num. 12.) 2. Verus penitens fugiat occasiones, & materias peccati: Josue funditus everit Jericho: Moyse in cinerem redegit vitulum: Magdalena trans mare fugit, & in specu Massiliensi procul ab urbe Solimæ se abscondit. Quare? an non potuisset in castello suo Magdalo sibi construere eremum? Nempe id fecit, ut fugeret occasiones peccati, quod facilius hic, quam ibi recurrere potuisset. (Vide Titul. Penitentia.) 3. Verus penitens audeat agere penitentiam non qualemcunque, sed proportionatam peccatis. Christus Dominus ter quæsit Petrum: *Anas me?* ut trina confessio trine negationi responderet. Magdalena pedes Domini capillis terxit, quos antea ad vanitatem crispavit, &c. (Vide Mich. a Calvo conc. 8. s. 3. num. 8. & 9.) Hæc industria, cum ordinariæ penitentibus desint, quid mirum, quod S. Ambrosius terribilem illam sententiam enuntiat: *Facilius inventi, qui innocentiam servarint, quam qui congrue egerint penitentiam.* Vide Tit. Penitentia.

Amor S. Magdalene invincibilis, & indefessus.

3. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7. S. Evangelista Marcus de Magdalena mentionem faciens, loqui incipit de muliere, a qua Christus Dominus septem demonia ejecit. Per septem demonia ordinariæ intelliguntur septem peccata capitalia, quibus amans Magdalena septemplex amorem opposuit, id est septem gradus amoris (nam octavus solum invenitur in celo) hunc septemplex amorem describens S. Bernardinus ait, amorem fuisse invincibilem, inseparabilem, indefessum, immutabilem, infatigabilem, infociabilem, & incomprehensibilem. Nos aliquos gradus, seu qualitates ex his considerabimus! Tu mi Christiane discite, quod vera penitentia tandem desinare debeat in verum amorem & quidem proportionatum peccatis, quo Deus, quantum fieri potest, tam intense amat, quam peccato offenditur. 1. Amor Magdalene revera fuit *invincibilis*; superabat omnes difficultates, non curabat Pharizæ loquelas, non Iscariotis murmura, non fororis querimonias, non circumstantium risus. Nos in amore quam facile tepescimus, cum talis aut similis difficultas occurrit. 2. Amor Magdalenz fuit *Inseparabilis*; Christum semper audiebat concionantem, illum sequabatur convivantem, miracula operantem, imo & morientem: dum exordes discipuli in passione omnes fugiebant, illa adhare non timet cruci, sepulcro inhæret anxia! laus quidem Virgini est, quod semper sequatur Agnum quoqueque terit, fed de Magdalena ait Chryostomus: *illa meretrix in Evangelio Virgines ipsa honestate superavit.* O quam cito tergam vertimus Deo, cum mundus & caro delicias suis allucit, & invidiat! &c. 3. Amor Magdalenz fuit *Indefessus*; post mortem Christi ad sepulcrum excurrit, ad asatum Angelorum imperturbabilis quærit Dominum: Christum ipsum sub specie hortulani sibi apparentem interrogat: Domine si tu sustulisti, ubi posuisti eum, & ego illum tollam! Quid ais Magdalena? tu tolles illum? Quid si esset in domo Caliphæ? tollam! o Mulier, non mulier, exclamavit S. Bernardinus, non locum exiit, non milites formidat! Digna quæ ad gradum octavam amoris fuit admissa in calis! &c. Sed nos Eheu! tepidos! &c.

Z. 4

In

In Feste S. Jacobi Apostoli.

Oratio quomodo fiat deservens.

A Dorani, & petens aliquid ab eo. *Matth. 20. 1.* Romani, teste Plutarcho, olim Legationem miserunt in Bythiniam, ad quam elegerunt ex Populicivem, sed rudem & bardum: ex Senatu senem prudentem quidem, sed chitragivem & podagricum: ex exercitu militem, sed fungum & meticulosum. De hac legatione jocosus Cato dixisse fertur: Legatio Romanorum nec habet caput, nec cor, nec manus, nec pedes. Parem in modum multi Christiani Legationem, seu Orationem mittunt ad Deum mancam & similli proflus ratione defectuosam, quid mirum quod nihil eorum, quae petunt, sed potius repulsam ferant. Explico fusius meam mentem! 1. Oratio saepe non habet caput, cum nimirum rem imprudenter, id est, talem petimus, quae nocere potius potest, quam prodesse, ut sunt divitiae, honores & similia. Hodierna Mater unum ex duobus filiis voluit in regno Christi sedere ad dexteram, alterum ad sinistram, quid ineptius? In ozlo non erit sinistra, ait S. Antonius Paduanus; quia ibi nec adversitas, nec gaudium diminutum invenitur. Extra calum autem petere sinistram, cheu! avertat Deus! (Vide Barz. ferm. 53. n. 27. Item Mich. a Calvo conc. 19. §. 2. nu. 2.) 2. Oratio saepe non habet cor, si nimirum firmam confidentiam in Bonitatem Dei non habeamus, dubitantes aliquo modo, an possit aut velit exaudire, propterea ad remedia terrena prius currimus, & tum primum, cum deficiunt humana auxilia, ad Deum confugimus. 3. Oratio non habet pedes, si in orando non simus constantes, sed cum non statim exaudimur, desicimus, & Deum si non immisericordem, saltem ut inexorabilem, aut memorem peccatorum nostrorum nobis imaginamur. 4. Oratio non habet manus, si opera non sint conjuncta: Filii Zebedaei non ex meritis suis, sed ex caritati propinquitate petebant coronam ante victoriam, & sic Coepostolis suis gratis anteferri sperabant; hinc Christus Dominus interrogabat eos: *Potesit bibere calicem, quem ego bibimus sum?* quod quidem, ut annotat S. Gregorius: *Jam vos loqui delectat calitudinis, sed prius vos via exercet laboribus; sine calice enim amaritudinis non pertingitur ad sublimitatem re-*

tributionis, &c. V. Mich. a Calvo conc. 43. §. 1. n. 3. Item Calamatum Dom. 24. post Pent. Et denique Tit. Beatitude, &c.

Vite peregrinatio quomodo instituenda.

2. *Die ut sedeat hi duo filii mei, unus ad dexteram, & alter ad sinistram in regno tuo.* Hac vita mortalis meta est peregrinatio, qua ab exilio ad calum tendimus: vivunt quidem aliqui in hoc mundo ut *Cives*, qui praesentibus contenti non tendunt ad aliam patriam, & hi sunt peccatores. Alii habent *ve ad vone*, qui ad patriam quidem aspirant; interim tamen utuntur, & inhaerent bonis praesentibus, & hi sunt tepidi, & inconsistentes Christiani. Alii denique vere sunt *Peregrini*, qui praesentia nec quaerunt, nec amant, sed viam suam ad caelum dirigunt, & hi sunt perfecti, & tales, quales esse debemus, si salvari cupimus. (Vide P. Segneri *Manna* an. 25. Julii n. 1.) Quæris forte, quid ergo requiritur ad esse *Peregrinum* perfectum? Intuere imaginem S. Jacobi Apostoli, qualiter ordinari pingi solet; quodvis imago haud satis tibi respondeat, edocebo ego ulterius. 1. Primum requiritur *Peregrinanti* necessarium est *Pileus*, quo contra solares radios, & contra grandines & nimbos caput defendat. Per pileum intelligitur virtus patientiae, qua Christianus vite hujus molestias, & tribulationes invicto animo sufferre debet. (Vide Tit. *Patientia*.) Praecipue curam ad hoc habeat, ut caput virtutum omnium, id est, fidem defendat. (Vide Tit. *Fides*.) 2. Alterum requiritur *Peregrinanti* necessarium est *Baculus*, quo canes abigere, & fessa ex itinere membra innitendo fulcire possit. Per baculum intelligitur *Crux Christi*, & gratia Dei: per crucem Christi latratus stygii Molossi, id est, tentationes importunas repellere dicat. (Vide Tit. *Crux*.) Per gratiam Dei standat roborari & confortari in operibus sanctis, & hac adminiculante omnes habitus, omnes arteriarum pulsus, omnes membrorum motus meritorios facere alio labore. (Vide Titul. *Gratia*.) 3. Tertium requiritur *Peregrinanti* necessarium est *Viticium*, seu subsidium pecuniarium ad praestandos itineris, vestium & morborum sumptus. Parem in modum, quo propinquus homo Christianus caelesti patriae appropinquat, eo magis a Sanctis calibus merita sua emendicare litagat, cum in modum, quo *Elia*

seus *Eliam* rogavit, *Fiat in me spiritus duplex tuus!* item ab Ecclesia indulgentias, & denique a Christo Domino Sacrosandum Divini Corporis Viticium ad felicem transitum exoret. Precor omnibus felicissimum iter! &c.

Cur preces nostrae a Deo non exaudiantur.

3. *Nescitis, quid petatis.* *Matth. 20.* Jaculari ad scopum, cumque tangere: ludere & lucrari; medicinam sumere & convalescere, non semper est unum & idem; saepe modicum obstaculum causam frustratur suo effectu. Parem in modum discurrendum est de oratione: quotidie oramus, obsecramus, instantus, suspiria, Rosaria, stectus in calum mittimus, & tamen non exaudimur! infelix sum; Deus non exaudit, imo crucem, quam dudum deprecatus sum, duplicat, triplicat. Quae causa hujus infortunii? Mi Christiane, Cornelius a Lapide hodie nam Matrem orantem considerans, septem causas assignat, cur ejus petio fuerit imprudens, & inutilis. Attende, forsitan ex una saltem causa harum septem & tuam orationem invenies viciosam! 1. *Petio* fuit imprudens, quia putabat regnum Christi Domini fore terrenum, & regio splendore pompam. 2. Quia petebat pro filiis, quod eis iam erat aliunde promissum, nempe assidere Christo & judicare. 3. Quia praesendebat pro filiis, quod eorum dores & merita longe superabat. 4. Quia incongruo tempore gloriam, & quietem quaerebat, tunc mirum, cum imminerebat passio, labor & luctus. 5. Quia aestabat, quod contraarium erat eorum Vocationi; erant enim vocati ad humilitatem & pauperitatem. 6. Quia prius debuisset petere merita Crucis, quam mercedem. 7. Denique quia pro uno petiit dextram, pro altero sinistram; sinistra autem in malam & infelicem partem potest accipi, &c. Inter has causas, mi Christiane, si una vel similitus tuam orationem viciosam reddidit, nolimitari, quod a Deo non exaudiaris, &c.

In Feste S. Annæ Matris B. V. Mariae.

Gratia Dei super omnia aestimanda.

2. *Quoniam, qui invenit homo, abscondit, & pro gaudio illius vadit, & vendit universa.* *Matth. 13.* Homo triplici bono fruatur in hoc mundo: Bono

fama, Bono fortunae, & Bono gratiae. qui triplici hoc bono gaudet, beatus ac felix dicitur, sed felicitate solum temporanea! Scio thesaurum, qui has felicitates mundanas, imo millenos mundos, tantum sperat, quantum Sol unam scintillam, & calum empyreum arenulam maris. Quis est iste thesaurus? Est Gratia Dei! de hac differenti ansam mihi præbet S. Mater Anna, cujus nomen Gratiam sonat; nomen Mariae item gratiam refert, adeoque gratia gratiam peperit, ex utraque autem natus est Christus fons omnium gratiarum. Attendite, quomodo, & qua de causa gratia aestimanda sit supra omnia bona terrena! 1. Aestimanda est super omnia, quia necessaria est ad salutem aeternam: homo non velius veste nuptiali sine memoranda ejectus est & cœcavit, ceteri vestiti admitti sunt. Quare? quia vestitus nuptialis est gratia Spiritus Sancti. 2. Quoniam laboribus hæc gratia consistit fons Confessoribus, Martyribus, & ipsi Christo, qui, ut cum nobis compararet, non guttulum, sed profusum sanguinis profudit. 3. Aestimanda est gratia, quia animam facit Divinæ consortem naturæ! per gratiam anima fit sancta, iusta, dilecta, beneplacens Deo, paradisi creatoris, Spiritus Sancti habitaculum, Trinitatis tabernaculum, sanctuarium Divinitatis. Sicut peccatum hominem infelicissimum, & aeternæ morti obnoxium reddit; ita gratia facit hominem solum adoptivum Dei! quanta hæc dignitas! 4. Aestimanda est gratia Dei, quia opera nostra elevat ad meritum supernaturale, & hominem facit capax gloriae celestis! Quamprimum mulier illa, vifaa S. Joanne, peperit filium, filius ante thronum Dei adductus est: ita quamprimum anima iusta opus bonum operatur, Deus illi gratum habet, & aeterna mercede compensat. Sicut sol majorem terræ splendorem communicat, quam omnia sidera noctu lucentia: ita millena opera natura, sine gratia, in Dei oculis non ita fulgent, quam unicum opus hominis in gratia constituit. 5. Aestimanda est gratia Dei, quia infernalis inimicus, illam nobis cum implacabili invidia invidet, & ideo infinitas tentationes contra nos adornat. Verum nolite timere Dilectissimi, quia hæc ipsa gratia fortes & invictos nos reddit contra infernalem Goliathum. *Gratia, non armis trophæum, aservitur, ait S. Basilus Seleucensis.* (V. Barz. *Serm.* 59. n. 16. Et *Serm.* 5.)

n. 35. Item Tit. Gratia, &c.) Eia! Pugnemus, laboremus, fudemus, parati porius famam, fortunam, vitam, & totum mundum perdere, quam Dei gratiam! &c.

Mariam per preces S. Anne nobis propitiam reddamus.

2. *Inventa pretiosa margarita abiit, & vendidit omnia, que habuit, & emit eam. Matth. 13.* Præ omnibus titulis Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, ille in maximum nobis solatium cedere debet, quod fit Refugium peccatorum! sicut enim Dux Josue in terra promissionis constituit ayla, seu civitates refugii, ita Maria revera refugium nostrum est in omni necessitate, temporalis, spirituali, & æterna, & quidem tanta cum Misericordia, ut miserimos etiam peccatores, quos Filius rejecisse videtur, benigne recipiat, prout exemplo S. Mariæ *Ægyptiæ* aliorumque constat. Explicabo hanc elementiam Dei Matris, & denique vos instrum, quo remedio illam vobis conciliare debeatis. 1. Sancta Dei Genitrix refugium nostrum est in necessitate temporalis, v. gr. in alimenti corporalis indigentia. Certe in nuptiis sollicita fuit de vino, ubi S. Bernardus ait: si hoc fecit invitata, quid faciet invocata? Scitis, cur in deserto multorum hominum passa sit famem? quia in deserto non aderat oculata Virgo, quæ omnium miseras videt, ait Novarinus. (Vide Mich. a Calvo conc. 39. §. 3. nu. 4. & 5.) 2. Sancta Dei Genitrix refugium nostrum est in necessitate spirituali, id est, in impetranda venia peccatorum, quibus Deum offendimus. Clamat *parvulus, ut pariat*: quid clamat? nempe clamando magnum desiderium offendit, ut omnes peccatores in gratia regeneret, & Filio suo reconcillet; hinc ipsamet invitat omnes: *In me gratia omnis vite & veritatis.* (Vide Tit. Patrocinium B. V.) 3. Sancta Dei Genitrix refugium nostrum est in necessitate æterna, id est in morte, ubi agitur de tota æternitate. Ibi Beatissima infideliatores demones in fugam agit, & morientem confortat, &c. (Vide Tit. Patrocinium B. V. in morte.) Bene hæc omnia, ais! sed quis nobis propitiam reddet Sanctissimam Dei Matrem, ut patrocinium suum pro nobis interponat? Respondeo, propitiam reddet Sancta Anna Mater Dei Matris! hæc auctoritate Materna quasi obstringit Filiam, ut pro nobis interce-

dat, & Filia tum ex obedientia filiali, tum ex gratitudine morem geret illi, a qua vitam recepit. Imo hoc remedium ipsa Beatissima Virgo suavitè femina, quam sic orare docuit: *Et benedicta sit S. Anna Mater tua, ex qua sine macula processit caro tua Virginea!* Vide P. Henricum Scherer Atlanti. Mar. in Gallia. Vide Reims seu Remi.

S. Anne vita, & mori nostra commendanda.

3. *Sic erit in consummatione seculi. Matth. 13.* Anno 1524. Mense Januario, cum Alonfus Zuasius Hispanus cum fezaginta comitibus ex Insula Cuba versus Occidentem navigaret, terribili tempestate jactati, totum mare, omniaque elementa sibi inimica experti, tandem in algam spumæam contrafro in frustra navigio ejedi sunt. Hic omnibus vite subsidii destituti, famem, sitim, frigus, terroresque passi sunt, adeo ut quotidie aliqui miserorum extrema calamitate contabescerent mortem obierint. Inter alios innocens puella undecim annorum jam ægri proxima exclamare, & circumstantibus enarrare cepit, & circumstantibus sole splendidiorum, albicante veste & viridi pallio ornata, quæ se Sanctam Annam Matris Dei Matrem dicebat, eamque præcepisse, ut Alonfus rescedat, quantum fieri posset, scapha, ad proximam Insulam cursum teneret. Paruit monitus, in eoque exigua terra statio non tantum dulces aquas fvi restinguendæ, sed & volucres & ova in tanta copia invenit, ut vitam tandem sustentare poterit, donec occasione natus est Hispano Governatori se manifestandi: Insigne hoc Beneficium ansam mihi dedit hortandi, & admonendi, ut vitam nostram, quæ mera navigatio est, una cum morte Sanctæ Matræ Annæ devotissime commendemus. Quid sunt syrtes, & scopuli nisi peccata commissa? Quid fluctus, nisi nostra inconstantia? Quid blandæ Syrenes, nisi mundana voluptates? Quid tenebræ & tonitrua, nisi conscientia? Quid venti & procellæ nisi tentationes? Quid marini vulvures & ceti nisi demones? Hi omnes conjunctis viribus exitium nobis minantur. Clamemus supplices ad S. Annam, ut ostendat nobis *Maris stellam*, & contra tot pericula ab æternonfragio nos præservet. V. Menochius Centur. 10. cap. 70. Et Rollignol. cent. 2. part. 2. Mirac. 9.

In

In Festo S. Laurentii Martyris.

Martyrium pro mundo est gravius quam pro Deo.

1. **O** *ui amat animam suam, perdet eam. Joan. 12.* Hodiernum festum duos nobis martyres ante oculos ponit. Quid? duos? Ita omnino duos! unum martyrem Dei, alterum martyrem diaboli: primus est Sanctus Laurentius, alter tyrannus Valerianus! primus corpore, alter anima torquetur! primus pro Deo, alter pro demone patitur! primus inter tormenta cælesti solatio confortatur, alter furore & rabie suo inferno præladit. Videmus, quis majora tormenta sustineat, martyr Christi, an martyr diaboli? 1. Lex Dei, non nego, habet aliquam difficultatem, præsertim in incipientibus: arduum videtur, mortificare passiones, exuere appetitus sensuales, & illud Christi monitum in praxin deducere: *Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam custodit illam.* Verum longè gravius & intolerabilior est lex mundi: Monachus ille, dum in Urbe Alexandria feminam vidit compe vestitam, & ornata suo molestissime onerata, flevit amare: causam quaerens reposuit: Fleo, quia tot; ac tanta non facio pro Deo, quanta hæc mulier facit pro mundo, &c. (Vide Barz. Serm. 24. num. 25. & 41.) Puer Amaleita ægrotus deseritur, Jacob a Labano decipitur, Amman vel de nocte vigilar, ne quis sibi vel de nocte gratiam regis suffiret, Nonne hoc arduum? (Vide Speranz. punct. 29. & punct. 116.) Delicia mundi sunt amariiores, quam cruce Christi, ait Sanctus Thomas de Villanova, &c. 2. Quid dicam de tyrannide diaboli, qua suos, servitio suo addictos crudelissime torquet. Illo instigante, aur præcipiente Rex Joackim in honorem idoli toto corpore sibi vulnera incidit. O! Si tale quid facere deberet Christianus pro vero Deo, quanta lamenta, & querelas funderet! (Vide Continuo in Festo S. Benedicti §. 4. num. 6.) Sic omnium peccatorum tortor & carnifex est infernalis inimicus, superbos suspendit, avaros cremat, invidos gladio confodit. (Vide Mich. a Calvo conc. 31. §. 2. nu. 10. & sequent.) Et quam mercedem tandem expectant miseri? In vita lanienam male conscientia, & post mortem supplicia gehennæ; hinc admirandus ait S. Chry-

solomus: *Quamvis diaboli imperet mo. a. Chry. festa & horum mercedem ponat gehennam, hom. 16. in magis illi obtemperatur, quam Christo 1. Alii.* (Vide Paccinelli in Jonam lect. 6. n. 15.) His omnibus consideratis, quis non libentius volet cum Laurentio ardere in craticula, quam cum Valeriano regnare in throno? &c.

Quomodo ignis amoris Dei in cordibus nostris reaccendendum sit.

2. *igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Psal. 16.* Credideram hæc enim unum unicum fuisse ignem, quo S. Laurentius arsit, sed hodie alter doceat a S. Leone, dicente, quod fortior fuerit flamma, quæ intus usit, quam externa. Qualis erat hæc flamma? externam accendit tyrannus, internam Spiritus sanctus! externa soli Laurentio convenit, interna etiam nobis communis est, de qua dictum illud: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendantur?* Jam si perfercur corda, proh dolor! inventio hanc flammam extinctam esse, sicut ignem sacrum in puteo Nehemias. Quid agendum? an extinctus hic ignis reaccendi non amplius potest? Potest! Et quomodo? Audiamus! 1. Ignis accenditur flatu oris, id est per orationem; oratio enim, cum sit elevatio mentis in Deum, quanto propinquius accedit ad fontem & scopum omnis amoris, tanto magis omnem tepiditatem ex animo expellit, illumque igne cælesti inflammar. 2. Accenditur ignis speculo caustico; speculum sunt exempla Sanctorum, præsertim hodie sancti Laurentii, cujus cor adeo igne amoris arsit, ut externum corporis ignem non senserit, & cum rifu excelerit. 3. Accenditur ignis filice: ita cor contritum, cum serio cogitat, quod summum, & infinitè amabile Bonum offenderit, amore usque ad lacrymas exardescit. 4. Accenditur ignis ignis, nimirum infernalis; quisquis enim terribiles illos cruciatu, intentione maximos, extensione interminabiles perpendit, merito cum S. Augustino exclamat: *Quis non lubens volet per horam ardere cum Laurentio, ut æternum non pariat incendium, &c.*

Per ignem S. Laurentii perpenditur ignis inferni.

3. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Joan. 12.*

Si

Si hodie tyrannica persecutio faviret, pro- ut initio Ecclesie contra Christianos fa- viat, quis esset ex nobis, qui Laurentia- no potius igne cremari, quam fidem per- dere vellet? revera pauci, & fere nulli! Ego autem scio carcerem plenum captivis, qui ingenti cum læticia & aviditate in hos ignes insilirent, in candenti craticula non jam una hora, sed integra septimana & amplius utlulandi & affandi, si possent redi- mi e sua captivitate. Quinam sunt hi ca- ptivi? sunt infelicissimi damnati in infer- no. Agite Dilectissimi, in igne S. Lau- rentii consideremus ignem infernalem ejus- que intuitu generosam resolutionem capia- mus, adversa omnia, quamvis gravia, in hoc mundo pro Deo perferendi. 1. Quan- vis ignis elementaris, quo quotidie utimur, sit ardentissimus, & dolorem super alia om- nia tormenta causet, tamen ad ignem in- ferni comparatus se habet sicut musca com- parata leoni; ratio est, quia ignis hic no- ster a Misericorde Deo creatus est ad no- stram utilitatem, ignis autem infernalis ab irato Deo accensus ad pœnam scelere- rum. Deinde, quia ignis inferni jam ab origine mundi est suscitatus, hucusque in momen- ta singula intensio crevit. Denique quia non tantum corpora, sed & animas urit, &c. 2. Accedit, quod ignis inferni erga Christianos longe sit crudellior, & poena terribilior. Sancto Macario ambulanti, inventa calvaria fatetur, se fuisse gentilem; quærenti, an etiam Christiani sint in inferno, reponit: esse quam plurimos, & quidem longe profundius in igne dem- mersos, quam se, fuitque similes, &c. (Vide Sanch. 4. part. 6. 4.) 3. Quod terri- bilissimum, ignis est æternus! transibunt secula cœnena, millena, & centies millies millena, ignis non extinguetur. Tiberium Imp. rogavit maleficis, ut mortem sibi acceleraret! respondit Cæsar: Necdum tecum in gratiam redii. Ita post mille annorum myriades respondebit Deus dam- natis: Necdum vobiscum in gratiam redii. O terribile tormentum! (Vide Baiz. ser. 30. n. 43.) Judicate, Dilectissi- mi, quantum delirent, qui timent ignem Laurentii, & non timent ignem inferni! Vide Tit. Infernus, Aeternitas! &c.

In Fæsto Assumptionis B. V. Mariæ.

B. V. moriens nos honorum suorum heredes facit.

In parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum delectio

*mea. Eccl. 24. Ubi mors, ibi hereditas; id quod tam in morte Christi Domini, quam hodie in Assumptione Divinæ Mariæ experti sumus! Cum Christus in cruce obit, testamentum condidit, ait S. Ambrosius, Matri Joannem, corpus Nicodemus, Patri Spiritum dedit, ipse vero Pri- mogenitus, Majoratu seu hereditate pater- na contentus in calis, nos quoque il- lius participes esse voluit, Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Hodierna die, ubi omnes Apostoli tanquam testes testamenti Mariæ ex universo orbe con- vocati sunt, Nobis minoribus filiis dos Materna in hereditatem relicta est, quæ licet minor videatur, quam illa Filii, amplissima tamen est, & laudata ab ip- sa Virgine: *Mecum sunt divinitus, & gloria!* Quænam autem sunt hereditatis o- pes ex benignitate assumptæ Virginis in nos derivatæ? Sunt bona illius tam im- mobilia, quam mobilia! Videamus, qua reverentia, qua cura & sollicitudine illa custodire, & honorare debeamus! 1. Bona immobilia hereditate per Mariam no- bis relicta sunt Tempa Mariana, honori illius, & nostræ utilitati erecta. In regno Hispaniarum ejusmodi Tempa Ma- riæ dedicata, decies millena, in sola ur- be Romana, tria supra septuaginta repe- riuntur: in nostrâ quoque vicinia haud pauca sunt, quæ totidem sacra asyla mi- hi videntur, ubi iusti in afflictionibus solatium & refugium, peccatores vero veniam & delictorum remissionem inven- iunt: quia velocior est nonnunquam fa- lus invocato Nomine Mariæ, quam in- vocato nomine JESU! Illud hic moni- tum velim, quod Doctissimus Bagatta enarrat: In Sacellam Beatissimæ Vir- ginis Haslicenæ a S. Ortone dedicatum, nulla fera, seu domesticæ, seu silvestris ingreditur, licet illud semper fieri apper- tur: quod si brutum ingredi contem- patur, vel statim perit, vel oculis excæca- tur. O mi peccator, si in clericibus ob- viantibus, ita ut superbia sis leo, au- ricia lupus, luxuria hircus, & quæ sunt cætera, saltem, antequam coram facie sanctissimæ comparas, conscientiam contritione emunda, ne tibi forte no- ceat, quod prodesse debuisset, &c. 2. Bona Mobilia hereditate nobis relicta, sunt quotidianæ devotiones, confraterni- tates, Rosaria, Scapularia, & alia! his indefessa sollicitudine, ac devotione in honorem Virginis operam nava; quia sunt scutum contra adversitates tam tem- porales, quam spirituales, præsertim*

Eccl. 1. 17.

contra insidias, & tentationes diaboli. Galenus Medicorum antesignanus eundem nocturnis illusioibus vexato subtrahat in lecto renibus rosas, refrigerationis causa suasit. Ita Beatissima Virgini, quæ vocatur Rosa Mystica, imago in sacro Scapulari eandem habet virtutem, ut extingant stygii tentatoris ardores, &c. Vide Tit. Tempa B. V. Item Tit. Cultus B. Virginis, &c.

Angeli & Homines de assumptione B. V. gaudere debent.

2. *Assumpta est Maria in caelum, gaudet Angeli.* Ante omnia hodiernæ diei læticia exigit, ut Sanctissimæ Virgini sublimissimam dignitatem gratulemur, quæ tanquam Divini Patris Filia, Divini Filii Mater & Divini Spiritus sponsa in caelos assumpta, usque ad solum Divini- ssimæ Trinitatis exaltata & coronata est. Laudetur gloriosissima cæli terræque Regina! Deinde duplex se questio of- fert; 1. Cur Ecclesia dicat, gaudere Angelos, quæ causa hujus gaudii? 2. An Homini in terris de assumptione Vir- ginis trilandum potius vel gaudendum sit? Dilucidemus utramque quæstionem! Respondeo ad primam! Omnes Angelorum chori de assumptione gloriosæ Virginis lætantur, & exultant; quia jam propin- quior famulatu Dominæ ac Reginae suæ obsequia sua deferre, simulque confidenti- us sperare possunt, ruinam Angelicæ suæ dignitatis rebellionis Luciferi causa- tam tanto citius securusque reparatum iri. Sed quomodo, quæ de causa? De- votissimus Gerson docet, quod Christus Dominus Amantissimæ Matri suæ hodie in caelos assumptæ, ac coronatæ dimi- diam regni sui, quod in Misericordia & justitia consistit, partem cesserit, & re- servata sibi iustitia Misericordiam Mariæ administrandam dederit. Quidni ergo SS. Angeli Tutelares sperent, clericibus suos jam per Misericordiam Matrem salutem suam in caelis facilius, expeditiusque con- secuturos, & sic numerum Angelorum ci- tius complendum esse; nimis enim certum est, multos hodie arduos in inferno, nisi Mariæ misericordia fuissent salvati. Ecce! hæc læticia Angelorum! &c. Respondeo hæc ad alteram quæstionem, an humano generi hodie trilandum potius quam gaudendum sit? Sine dubio, tristius ja- ctura accidere mundo non potuit, quam cum Dei Matrem, unicum in adversis fo- ratum amittit. Verum respirate afflicti!

Maria quidem oculos hodie per mortem claudit; sed cor illius pro nobis vigilat. (Vide Mich. a Calvo conc. 13. §. 1. n. 5.) Quamvis Mariæ Misericordia sit a nobis remotior, tamen simul est potentior! ideo dicitur *pulchra ut Luna, electa ut sol*, quia sicut ejus Misericordia antea in terris fuit defæctiosa ut Luna, jam in cælis est perfectissima ut sol! Sperate Iusti in tribulationibus vestris! Sperate peccatores in angustiis vestris! Maria obit, non abiit! proximior facta Deo, crevit in potestate, & voluntate nobis succurrendi! Audite Bernardum: *Non desit Mariæ potestas, quia Mater Omnipotentis! Non desit impetrandi facultas, quia Mater est sapientis! Non desit juven- tis voluntas, quia Mater est Misericordie. Ora, invoca, supplica! Experietis! &c. Vide Mancini, Deus Misericors, De- monst. 10. coroll. 6. &c.*

B. V. Triplici corona coronata.

3. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, Veni, coronaberis. Cant. 4. n. 8.* Quid est, quod Dilecta in Canticis tri- plici invitatione a sponso ad gloriam coronationis vocetur? *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, Veni, coronaberis!* Insignia prorsus debent fuisse me- rita sponse, quibus trifariam honorari promeruit. Ne dubitate, Dilectissimi, insignia fuerunt merita; per sponsum enim intelligo sanctissimam Dei Matrem, quæ plane sanctitatis sui Angelorum & ho- minum merita incomparabiliter tran- scendens triplici corona, veluti Romani olim Imperatores in triumpho, meruit hono- rari, videlicet ferrea, argentea, & au- rea. Admiramini quod ajo? Explicemus omnia, & quid nobis agendum sit, dilu- cidemus! 1. Beatissima Dei Mater corona est *corona ferrea* in mysteriis dolorosis, quando stans sub cruce, quod filius passus est in corpore, illa passa est in anima, tanto doloris excessu, ut illos omnes creaturas divideretur, proloquitur S. Bernardus Senensis, omnes subito interi- ret; hinc S. Gabriel Archangelus Mariæ ante mortem attulit ramum *Palme*: cur non rosam aut lilium? quia illam decla- rare voluit Regnam Martyrum, qui pal- mam in manibus gestant. Tu, mi Chri- stiane, Beatissimæ omnes dolores, & aff- lictiones tuas offer unitas cum illius Mar- tyrio, &c. 2. Beatissima Dei Mater co- ronata est *corona argentea* in mysteriis gaudiosis. Tu offer illi argenteum can-
tena



rem castitatis, & omnium piorum operum, &c. 3. Beatissima Dei Mater coronata est *corona aurea* in mysteriis gloriofis, hodie inaugurata in Reginam cali & terræ, &c. Tu offer & commenda illi mortis tue agonem, & roga finalem gratiam. Non deerit tibi Beatissima, ut pro te fiducialiter intercedat; nam, ut ait S. Thomas, ut quis alterius patrocinium suscipiat, tria requiruntur, scientia, potestas, & voluntas, quæ tria omnia habet Maria, &c. Vide Fridericum Fornerum Serm. Tricef. ser. 11. 12. & 13. &c.

In Festo S. Bartholomæi Apostoli.

Quilibet Christianus inter suos tenetur esse Apostolus.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit. Luc. 6. 1. Si Dominus Deus ad conversionem orbis, & propagandam salvicam fidem potentis Principes ac reges cum armatis exercitibus, aut astutos Philosophos omniscientiarum genere excoltos adhibuisset, quilibet Christianus se excusare, dicere que posse: Non teneor imitari Apostolos, quia tali potentia, & exquisitis qualitatibus ad grande hoc opus requisitis præditus non sum! verum cum Divina Providentia ad lucrandas animas elegerit viros inermes, rudes, indoctos & inultos, nemo est, qui hanc exultationem obtendere possit. Omnes ad imitationem Apostolorum tenentur cooperari ad animarum salutem! idque vel maxime dictum ac inculcatum volo Superioribus, Parentibus, ac Patribus familiaribus, qui inter suos subditos, filios, ac famulos domi suæ obligantur esse Apostoli, intruendo omnes curæ suæ commissos in fide, & iustitia Christiana. Sed quomodo? Audite, attendite! 1. Nemo hominum sibi soli vivit, sed etiam proximo, cui tam corpore, quam anima tenus pro viribus prodesse studeat, iuxta illud: *Mandavit unicuique de proximo suo.* Hoc mandatam præcipue stringit eos, qui præsent. Itaque ante omnia curat Superior, aut Pater-familias, ut domesticos, filios, & famulos in sancta fide instruat, aut instrui permittat; hunc in finem illos ad audiendum verbum Dei, ad frequentandas catecheses compellat, & nonnunquam ipsius pio discursu aut lectione super mensam, aut aliis sacras veritates exponat. Neque unquam permittat, ut vel jota, vel un-

apex alicujus articuli a suis subditis intrudubium vocetur. Insuper sollicitè curet, ut ne quisquam suorum familiaritatem contrahat cum heterodoxis, aut illis libertinis, qui pro more infelicis hujus sæculi sibi ipsis fidei sistema confingunt, & antiqua sacrosancta dogmata, ab Apostolis derivata nasutuli risu explodunt. Fugiantur illi velut pestis! &c. (Vide Tit. Fides, Hæresis, Hæretici, &c.) 2. Deinde invigilent Superiores, ac Pater-familias, ut subditi, & domestici solide imbuantur in iustitia Christiana, cujus duplex est manus, seu obligatio: Declinare a malo, & facere bonum. Et hoc quidem quod attinet, nempe facere bonum, erudiat illos, quomodo continuo in præsentia Dei ambulare, & actiones quotidianas per sacram intentionem ad opera meritoria elevare possint ac debeant. (Vide Tit. Opera bona, Intentio &c.) Denique vigili oculo observet eorum mores ac vitæ rationem, suspecta consilia interrumpat, peccata maxima cum sollicitudine præcipiat, & neminem sceleratum in domo sua patiar, &c. Hæc si agat, erit Apostolus domesticus! Vide Tit. Superiores, Pater-familias, Peccatum, &c.

Mala consuetudo grande malum.

2. Numquid mutare potest ethiops pellem suam? Jerem. 13. Cum homini ad rem impossibilem consentienti inutilem conatum exprobrare volumus, dicere solemus: Ethiopein lavas! Etenim etiam si Africanus in Mauritania natus, ter, quater, decies, aut sæpius cum omni industria lavetur, nunquam nigredinem exuerit, nunquam albedinem induet. Scitis, quid per ethiopen intelligam? Intelligo miseritimum peccatorem, cujus peccandi malitia in consuetudinem creverit. Revera peccatum denigrat animam, eamque toties quoties nigredinem facit, donec tandem nigredo incorrigibilis, & inemendabilis sit: Ita sentit, & loquitur S. Bernardus: Sunt aliqui, qui quali cute quadam involuti sunt consuetudine vitiorum, ut illam desudare aut desudare non tam sit spoliari, quam excoriari. Vultis audire rationes? Audite! 1. Mala consuetudo nam potens & violenta est, ut quoties peccatum repetitur, semper magis invalescat: sicut per quemvis mallei ictum clavus profundus in lignum immergitur; ita per quodvis peccatum consuetudo mala magis

gis radicatur; hinc dicitur transire in naturam; quemadmodum illa, quæ natura nobis, dedit exiri & deponi non possunt, uti spirare, comedere, dormire, ita quæ per consuetudinem invaluerunt, superari vix amplius possunt. 2. Quin imo consuetudo tam maligna est indolis, ut etiam ardua, & amara dulcescere faciat: Israelitæ in deserto caelesti Manna pasti sunt, & tamen præ illo cepas & allia Ægypti aseruerunt, quia his ultra centum annos assueverunt. Quid amarior, quid insulsius peccato? cum prima vice committitur, heu! quantis aculeis conscientiam lancinat! quod si repetitis viribus multiplicetur, desinit esse absinthium & inlita sacchari devoratur. 3. Hinc est quod consuetudo mala difficillime emendetur, & ordinarie infelicem mortem post se trahat; ad conversionem enim non est efficacius remedium, quam timor Domini, hic timor autem eliditur per consuetudinem; quia tandem animus ocalefcit. (V. P. Seigner p. 1. Disc. 4. n. 14.) Quid ergo agendum? an desperandum? violenta violenter superanda sunt! Peccator sæpe invocet Dei gratiam. Deinde perinvictum propositum voluntatem subjuget. Denique contrariam virtutem iterato eliciat &c. V. Tit. Mala consuetudo, &c.

De crimine detractionis & ejus damnis.

3. Vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis. Luc. 6. Hi duodecim Discipuli erant oracula Veritatis, quos ad Christi legem toto orbe disseminandum Dominus elegit, inter hos etiam erat S. Bartholomæus, Indorum, & majoris Armenia Apostolus. Audite vero, quam infeliciter Sancti istius labores fuerint frustrati! Jam Regem, cum Regina, & duodecim civitatibus converterat, cum ecce! Sacrificulorum furationibus apud fratrem Regis ita fuit denigratus, ut is innocenti Apostolo, post detractum honorem, etiam pellem detrahi crudelli martyrio præcepit. Maledictum crimen detractionis! Hoc, Dilectissimi, ut vobis odibile, & detestabile reddam, describam malignissima ejus damna; si nec enim coluber triscapite lingua tria vulnera infligit: ita detractio tres uno mortu laedit, loquentem, audientem, & eum maxime cui detrahit. (Vide Barz. serm. 36. n. 26. Et Serm. 50. n. 31.) 1. Detractio vulnerat *detrahentem*, de hoc ait Psalmista: *Conversi sunt in ar-*

gum pravum: Arcus pravus est, qui dum putatur sagittam contra hostes enaculari, fauciat sagittarium: exemplum habemus in Maria forore Moyse! dum contra fratrem linguam acuit, cui maxime nocuit sibi ipsi; quia lepram contraxit. (Vide Speranzam punct. 115.) 2. Detractio vulnerat *Audientem!* Inter detrahentem & audientem ait S. Augustinus, non est aliud discrimen, quam quod primus habeat diabolum in lingua, alter in aure: si non esset auditor, non esset detractor; quia ille nonnunquam de industria expiscatur, quæ audire vellet, & est velut solis ad ignem. 3. Detractio maxime vulnerat *Eam cui detrahitur.* Jeremias vidit oliyam pulcherrime florentem, cum autem transiit, illa non erat amplius: quid factum est oliva? fulmine tacta est. Ita multiflorens, sed a detractione ceu fulmine ad nihilum redigantur, &c. Vide Tit. Detractio, &c.

In Festo Sanctorum Angelorum.

Angelus custodit clientem intrantem, transientem, & exsurgentem e mundo.

1. **A**ngelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ps. 90. v. 11. Quod Magister est Discipulo, quod Medicus ægro, quod Ductor Viatori, quod scutum Militi, quod umbraculum contra æstus solis, id omne, & multo plus est Angelus Custos Clienti. Expertus est juvenis Tobias, quem Angelus Raphael fidelissime comitatus est in itinere. Verum non jam Tobias, sed nobis ipsis gratulemur hodie, quia de te, de te, de nobis omnibus Deus mandavit Angelis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris, quod certe mandatam Angeli obedientissime exequuntur. Sed quantum sunt illæ viæ? Respondet S. Hieronymus: Via hominis triplex est, In mundum, Per mundum, & Ex mundo! Videamus obsequia, quæ tripliciter nobis præstat Angelus. 1. *In mundum intrat homo per natiuitatem*, ubi certum est, quod Angelus, ad mandatam Domini, sollicitè curam gerat de parente, ne partus, antequam lucem aspiciat, in utero Matris per infortunium, quod sæpe fieri solet, suffocetur, & pereat. Deinde in ipsa natiuitate dies certum est, quod Angelus mox insantem in suam tutelam recipiat, ne ab insidiante diabolo, qui jam tum neo-nato homini eazum, e quo ipse

ipse expulſus eſt, invidet, ante Baptiſmum juguletur. Optime faciunt parentes, ſi prima ſtatim hora infantulum Deo, & Angelo tutelari commendent! &c. 2. *Per mundum ambulat homo in vita ſua, ubi Angelus ſemper lateri eius adheret, eumque contra pericula corporis & anime cuſtodit.* Pericula corporis ſunt nobis, vulnera, aliæque infortunia, quæ paſſim in aliis dolenter conſpicimus. Pericula anime ſunt peccata, contra quæ Angelus in tentationibus luſcurrit, eumque vel inonitis excitat, vel minis etiam terret, ne a via mandatorum recedat. (Vide Speranz. punct. 97.) 3. *E mundo exit homo per mortem, ubi Angelus omnem conatum adhibet, ut morientem ab infidiis infernalis inimici, & a deſperatione præſervet, &c.* Tu, mi Chriſtiane, in tribus hiis Angelo momenti mortem gerere! cura ſolicite, ne illum unquam peccato in fugam agas; quia ait S. Bernardus: *Vae nobis, ſi provocati peccatis indignos nos judicaverint præſentia ſua!* &c. V. Barz. Serm. 19. n. 13. & ſeq.

Festum hoc eſt gratitudinis, obedientiæ, & compaſſionis.

2. *Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Sicut Feſta Domini per annum ad exercendas virtutes Theologicas nos excitant: Feſta Mariæ Virginis ad puritatem animi conſervandam inflammant: Feſta Sanctorum ad imitationem virtutum provocant; ita hodiernum Feſtum SS. Angelorum reſpectu Dei eſt Feſtum gratitudinis, reſpectu noſtri Feſtum obedientiæ, reſpectu Angelorum Feſtum gratulationis, vel compaſſionis. Si paradoxum vobis videtur, quod loquor, aude explicationem! 1. Hodiernum eſt Feſtum gratitudinis reſpectu Dei! quis enim grates ſatis rependat amantiſſimo ac providiſſimo Deo, quod a primo creationis momento Duce[m], tutorem & cuſtodem nobis adju[n]xerit ſideiſſimum ac potentiſſimum, qui in hoc vitæ mortaliſis itinere, per miliena pereundi pericula, ad calum nos ſecure perducere poſſit, & velit. Nonne convenientius foret, ut nos ſerviremus Angelo, quam Angelus nobis? &c. 2. Hodiernum eſt Feſtum obedientiæ reſpectu noſtri; cum enim Angelus per monita, & minas nihil aliud intendat, quam noſtram ſalutem corporis & anime, exigit viciffim noſtra obligatio, ut ejus nutum obſequioſiſſime ſequamur. Quantum profuit hæc obe-

dientia juniori Tobie! &c. 3. Hodiernum eſt Feſtum vel gratulationis, vel compaſſionis; ſi enim cliens obediens ſalutem conſequatur, Angeli in calis diem feſtivarum agunt, & ceteri huic Angelo gratulandi applaudunt. (V. P. Lohner. Bibl. V. Angelus n. 37. & 3.) Si vero cliens æternum perat, Angelus triftatur, & ceteri illi cum luctu condolent. Ideo in hodierno Evangelio dicitur: *Videte ne contemnatis unum ex hiis paupſſis, id eſt, ne interitum anime illius pro ley ſadura reputetis, Angelienim illorum ſemper vident faciem Patris veſtri, id eſt, Angeli, etſi quoad ſculpam non habeant, tamen coram facie Divini Patris erubefcunt interitum ſuorum clientum.* O infelix cliens, quanta cum deſperatione deplorabis inobedientiam tuam, qua amantiſſimi Cuſtodis conatus fruftraſti! &c. Vide Mich. a Calvo conc. 10. ſ. 3. n. 9. & ſeq.

De obſequiis quæ Angelus clienti præſtat.

3. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te.* Sanctum Angelum Cuſtodem ut Tutorem intueor, qui pupillum orphanum, parentibus præmatura morte orbatum, nutriendum ſuſcipit, & adoptat. Sicut iſte, ita & Angelus innocentem animam recens natam in ſuam tutelam recipit. Cuius mandato? Dei Optimi Maximi, qui ex immenſa benignitate cuilibet homini Cuſtodem aſſignat. Cum igitur Angelus ſit ſapientiſſimus, utique ſciet; cum ſit potentiſſimus, utique poterit; & cum ſit ſanctiſſimus, utique volet, profundiffima cum humilitate mandato Dei obedientiffime ſatisfacere, & anime ſibi commiſſe omnia, qua expedit, obſequia præſtare. Quænam ſunt hæc obſequia? Audiamus ex S. Bonaventura, & noſtram gratitudinem diſcamus. 1. Angelus Cuſtos, dum munus hoc ſuſcipit, ante omnia operam dat, ut innocens anima ab unguiculis in virtute ſemper, & meritis ereſcat; hunc in finem educatoribus, Magiſtris, & inſtructoribus ſaluberrima principia ſuggerit, in enim anime inculcanda v. g. de Deo amando ſuper omnia, de obedientia præſtanda parentibus, de contemptendis mundi vanitatibus, de fine ultimo, ad quem creati ſumus, &c. 2. Solicite vigilat ne cliens in peccatum cadat, maliximum illud malum, de quo S. Blacha quotidie filio ſuo Ludovico in ſententia edixit: Fili, malum te in ferro, quam in peccato videre! & ecce!

hoc

hoc principio horror peccati tam altas radices egit in corde Regis Ludovici, ut per omnem vitam inter aule delicias, quod miraculo ſimillimum eſt, nunquam graviter peccaverit. 3. Quodſi infelix cliens in grave delictum incidit, eheu! luget, & triftatur Angelus, atque laborum duplicat, ut miſer per penitentiam cito cum Deo reconcilletur, ne multiplicando peccata in profundum veniat; & perat. 4. Id ſi impetraverit, continuo clientem ſpe præmii, & metu inferni exſtimular, ut in Dei gratia uſque ad mortem perſeveret, &c. En! hæc ſunt obſequia, quæ tibi Angelus tuus hucusque præſtat, & deinceps præſtabit. Quæ noſtra eſt viciffim obligatio? Audi: cum Patriarcha Abraham ad mandatum Dei filium ſuum Iſaac immolaturus erat, apparet Angelus manum & gladium ſerientis cohibuit, & ita filium in vivis conſervavit. Hæc enarrat Scriptura, non autem adjungit, qua gratitudine Iſaac Angelum conſervatorem veneratus ſit. Et quare non? quia verbis deſcribi non poteſt, quantum Iſaac Angelo debuerit, cui fe totum debuit: Ita de te loquor, mi Chriſtiane! Forſan jam arderes in inferno, niſi hoc protectore fuiſſes præſervatus! igitur te totum debes, &c. Vide Tir. Angelus Cuſtos. Barz. Serm. 72. num. 14. Item Corn. a Lap. Exod. 23. v. 20.

In Feſto Nativitatis B. V. Mariæ.

De donis nature & gratiæ B. V. collatis.

2. **D**E qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus. Cum Creator reum omnium Deus Beatiffimam Virginem, quam Divino Filio ſuo Matrem elegit, & nihilo produxit, ſimul illam celeſtibus donis adeo exornavit, ut primo creationis inſtanti jam eſſet excellentior omnibus Sanctis, dicereque poſſet: *In plenitudine Sanctorum detentio mea!* Præterea hodierno Nativitatis Feſto ad cunas Virginis advenerunt duæ opulentiſſimæ Matronæ, quæſe, ſuaſque divitias plane ingentes ejus ſummatim addiderunt. Quænam ſunt hæc duæ Matronæ? ſunt Natura, & Gratiæ! Videamus quæ dona ad excellentiam Neo-natæ Virginis contulerint, & quid nobis agendum, diſpiciamus! &c. 1. Natura contulit Neo-Natæ Virgini pulchritudinem admirandam, qua omnes Veteris Teſtamenti feminas, quæ de venuſtate laudantur, uti Rebecca[m],

D. Claus Spicil. univerſ. Pars III.

Rachelem, Eſther, aliæque incomparabiliter ſuperavit. S. Dionyſius Atheniſi uſque Jeruſalem profectus eſt, ut Mariam videret. Vidit, & poſtea edixit: crediturum ſe, quod Deam viderit, niſi fides contrarium doceret. Et quod majus eſt, hæc pulchritudo in aſpicientibus non ſuſcitavit, ſed extinxit libidinem: ſuit *ſicut lilium inter ſpinas*: quia aliæ pulchritudines pungunt ut ſpinæ; ſed Maria ſemper ad pudicitiam allicuit ſicut lilium. Tu, mi Chriſtiane, cum moleſtias ſimilium punctorum advertis, Mariæ pulchritudinem tibi ante oculos pone! &c. (Vide Mich. a Calvo Conc. 11. Ser. 2. n. 5.) 2. Gratiæ Beatiffimam Virginem ea ſanctitate donavit, ut non tantum illam ab omni macula peccati originalis præſervavit, ſed omnes creaturatum excellentias in ea adunavit, dicente S. Hieronymo: *Ceteris per partes, Mariæ fe tota inſuſt gratiæ plenitudo.* Maria ſuit, & eſt Regina omnium Sanctorum: ergo debet eſſe idea ſanctitatis, juxta quam SS. Angeli, Apoſtoli, Martyres, Conſeſſores & Virgines ſuam efformarent. (Vide Corn. a Lap. Prov. 8. v. 22.) Tu, mi Chriſtiane, gratulare ſanctiffimæ Virgini tantas corporis & anime excellentias, roga illum, ut tibi puritatem ab omni peccato immunem tuo patrocinio impetare digetur. (Vide Tir. Excellentia B. V.)

Maria comparatur Lunæ, Auroræ & Soli.

2. *Qua eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulera ut luna, electa ut ſol?* Neo-Natæ Virginis dignitas ab Angelis admirantibus triplici comparatione laudatur, & extollitur, Luna, Auroræ & Solis, quo indicatur, quod ſicut Luna in nocte, Aurora ſub diluculo, & Sol in die luceat; ita Mariam a Deo conſtitutam eſſe, ut peccatoribus, penitentibus, & juſtis ſuo auxilio, & patrocinio proſit: *Omnium uncta ſadæ eſt*, ait S. Bernardus, omnibus *Miſericordie ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi.* (Vide Barz. Serm. 75. nu. 15. Et Serm. 71. nu. 10.) Videamus, quomodo Beatiffima triplici beneficio omnibus proſit, ut quæ noſtra ſit viciffim obligatio, agnoſcamus! &c. 1. Sicut Luna in nocte luceat; ita Maria miſericordiam curam gerit, qui in tenebris peccatorum hallucinantur! Inſelices anima, quid vobis ſolacii ſuperſeſſe poteſt in mundo, qui Deum habetis inimicum!

Aa ſilum

filium vite humanam tenuit, & fragile est, desepente, cum minime putabitis, frangitur! & quid speratur? infelicissima aeternitas! Miseris his Beatissima Virgo compatitur, & sicut Luna omnes influens, quos a Sole recipit, terra communicat; ita illa intercessionem sua miseris gratiam conversionis exorat. *V. a.* illis, qui gratia cooperari detrectant! (Vide Mich. a Calvo conc. 27. §. 1. n. 10.) 2. Sicut Aurora lucet sub dileculo, media inter diem & noctem; ita B. V. singulariter Patrona est poenitentium, qui quasi funt mediū inter diem gratiæ, & noctem peccati. Illo, poenitentiam egerint, peccatum tamen tot venenosas radices in animo reliquit, quæ in molestas tentationes, infirmitatesque identidem repullulant, ipse etiam dæmon iure suo, quod per peccatum acquisivit, non vult cedere, quotidie novos insultus & pugnas renouat. Quid remediū? confugiendum ad Mariam! sicut aurora succurrit Jacobo luctanti; ita illa, speciali deuotione invocata, decedantibus in huius vite prælio subuenit. (Vide Mich. a Calvo conc. 39. §. 3. n. 7.) 3. Sicut Sol lucet in die, & radius suis calefacit, inflammat, & fecundat; ita B. V. specialiter oculos suos convertit ad homines iustos, qui lumine Divinæ gratiæ cornescant. Pro his non tantum in spiritualibus, sed & in temporalibus curam gerit. Percipite curam prodigiosam! Quingenti Metalli-flores a corruente monte in spelunca subterranea obruti sunt. In hoc misero statu apparuit illis infernalis inimicus, illisque promisit exitum, si suæ seruituti se addicere vellent. Recursarunt conditionem omnes, & hodierna die Natiuitatis B. V. auxilium inuocarunt, & ecce! mons miraculose in medio ruptus, exitum capriui aperuit. (Vide Rossignol. cent. 3. Mirac. 44.) Laudite iusti! perferate constanter in Dei gratia! Maria Mater vestra erit, corpore & anima tenet! &c. (Vide Tit. Comparationes B. V.)

Cunæ B. V. debent nos animare ad pugnam.

3. *Virum Mariæ, de qua natus est IESUS, qui vocatur Christus. Matth. 1.* Cum olim regnum, seu Ducatus Brabantinus legitimis suis Principibus per mortem orbatus, ex omni parte per armatos exercitus invaderetur, Proceres regni, ut extreatio malo consulere, Godofredum principem heri natum, qui solus e pro-

uorum sanguine superflus adhuc in cinis vagiebat, in campo arena, ubi cum hostibus confidendum erat, in cinis ex ardore suspenderit, ut milites miserabili sui principis aspectu ad pugnam animarentur. Et profuit consilium! hostes victi sunt. Ecclesia hodie cunas B. V. Domina nostra nobis ante oculos ponit, ut nos in hac vita, quæ mera militia est, ad pugnam contra hostes generose obendam excitaret. Quinam sum nostri hostes? est infamis illa tritas, mundus, caro, & dæmon. Videamus quomodo pugnandum, quomodo vincendum sit? 1. In arenam progreditur Mundus, & magna cum iactantia bona sua, honores, ac dignitates extollit, vitam longævam, felicitatem maximam, ac dies sine nube serenos promittit, qua promissione miseros nonnumquam adeo dementat, ut cervicem superbiendo erigentes, ad fastigia mundana eluctentur, & æterna obliviscantur. 2. Ad pugnam continuo provocat caro, voluptates suas offert, suos sequaces, qui sibi dictum putant illud: Ede, bibe, lude! beatos dicit. Econtra iustos ac castos, qui ejus delicias aspiciunt, continent: Josephum innocentem in carcere concludit, & adulteram ream domi honoribus extollit. 3. Pugnam prosequitur, & aggravat fallacissimus dæmon, offert divitias, honores, voluptates, & omnia terrena commoda, & tamen suos asseclas certos esse jubet de æterna felicitate, &c. At vero, Dilectissimi, cauti estote! nolite fidem dare! Est impossibile, ait S. Hieronymus, ut presentibus quis, & futuris fruatur bonis, atque hic ventrem & ibi mentem impleat! Atrollite oculos ad cunas B. V. quæ semper fuit humillima, castissima, pauperissima! huius aspectu discite porro pugnare contra Mundum, Carnem, & Dæmonem! &c. &c.

In Festo S. Matthæi Apostoli.

Miseriçordia Dei mirabilis erga peccatores.

1. *Vidit IESUS hominem sedentem in telonio, Mattheum nomine. Matth. 9.* Qui criminis capitalis reum se fecit, ad aylum aspirat: sic in Veteri Lege dabantur civitates refugii, ubi malefactorum erant securi contra apparatus iustitiæ. Peccator reus est flagitii capitalis, quia rebellis contra Divinam Majestatem! quo confugiet? non est illi refugium,

quam offensus Deus! In humanis, qui regem offendit, regem offensum quam longissime fugit! Non ita in Divinis! qui Deum offendit, quo magis securitatem desiderat, eo propius ad Deum offensum accedit. O Misericordia Dei, patere, ut te peccatorum cordibus intime incaleam, quæ te hodie in vocatione peccatoris Matthæi mirabilem exhibuisti! Agnoscat peccator, quæ principia imbibe in animo debeat de Misericordissimo Deo! 1. Inprimis firma fide tenet peccator, Magnam esse Misericordiam Dei erga peccatores! Abrahamum ex igne Chaldæorum, Lotum ex incendio Sodomæ, tres pueros ex fornace Babyloonica eripuit: sed hoc fecit amicis! non ita mirabilis est, quod inimicum, videlicet peccatorem eripiat ex igne infernali? Non est Rex aut Princeps in orbem terrarum, qui rebellem in amicum facere recipiat, qui unum unum facit Misericordius Deus, &c. 2. Consideret, & admiretur peccator, quod Deus peccatorem non tantum rogantem recipiat, sed & non rogantem rogando & invitando præveniat. Id quod admiratur Tertullianus inquis: Inaudita Misericordie genus, summo cum iure veniam negare posse, & non solum non negare, sed rogare & minari. 3. Peccator bene ac profunde animo imprimat, exempla Misericordie debere trahi in consequentiam: pessima est argumentatio: Mattheus Misericordiam consecutus est, ergo & ego consequar! Per similem argumentationem olim Pharaon perierit: dixit sibi ipsi: Populus Israel secure transiit rubrum mare: ergo & mihi transire licebit: dixit, & submersus perierit. Vide Barz. Serm. 13. a n. 9. & seq. Item Tit. Misericordia &c.

De Beneficio Vocationis ad fidem, & nostræ obligatione.

2. *Et ait illi: Sequere me. Matth. 9.* Quam gratiam & Beneficium Christus Dominus Matthæo exhibuit, vocando illum præ mille aliis ad sui sequelam, id ipsum & Dominus Deus exhibuit cultibet Christiano, vocando illum ad sanctam salvificam fidem præ millies millies aliis: circumferamus oculos & animam per totum orbem terrarum, videbimus nostram Europam fœtante heresim monstris, Lutheranismis, Calvinismo, Janfenismo, Sycretismo, Atheismo, aliisque, quotidie novis. Si consiciamus oculos in cæteras mundi partes Asiam, Africam & A-

mericam, inveniemus non nisi Gentiles, Machumetanos, Idololatrias, tanta cum feritate morum, ut incolam milliones, ac miliones, si solum externam speciem excipias, brutis, quam hominibus sint similiores. Et cur Dominus Deus nos præ his omnibus ad sanctam salvificam fidem vocavit? Ex mera Bonitate & Misericordia! Quis unquam hoc beneficium satis perpendit: qua gratitudine illud retribuere, & compensare possimus Misericordissimo Deo? Imitemur exemplum S. Matthæi, ille pro gratia sue Vocationis adeo gratum se exhibuit Deo, ut in honorem Dei, Evangelista, Apostoli, & Martyris manus obierit. Faciamus similiter, audiamus quomodo! 1. S. Mattheus in gratitudinem sue Vocationis egit *Evangelisiam*, describendo vitam Christi a stabulo usque ad crucem. Parem in modum quoad Deum vitam Christi in nobis semper experimamur. Ideo in Concilio Antiocheno decretum est, ut credentes in Dominum JESUM Christum deinceps Christiani vocarentur: hic titulus denotat sequacem Christi, quem in Baptismo professus est. (Vide Barz. Serm. 41. n. 19.) Studeat ergo, sicut corpore in terra, ita animo semper in celo habitare; non transeat hora, in qua non Deum suum per aspirationes jaculatorias saluret, & omnia ad ejus gloriam agat. (Vide Tit. Christianus.) 2. S. Mattheus in gratitudinem sue Vocationis factus est *Apostolus* propagando fidem, & prædicando Verbum Dei in salutem animarum. Parem in modum Christianus quoad proximum conatum omnem impendat, ut rudes instruat, errantes corrigat, virtutem verbo, & exemplo doceat, peccata impediat, &c. 3. Sanctus Mattheus in gratitudinem sue Vocationis factus est *Martyr*, dum Parthis & Echiopibus fidem attulit, securi percutus. Parem in modum Christianus quoad seipsum martyri fiat, affectibus terrenis emoriatur, passionibus, & concupiscentias perimat, ad vestrales, & erumnas sæculi generosa resignatione perferat, tentationes vineat, percutienti alætra maxillam præbeat, id, quod genus martyrii est, &c. Vide Tit. Christianus. Sic respondendum est gratiæ Vocationis ad fidem, ut quilibet in mortis articulo dicere possit: Gratia ejus in me vacua non fuit, &c.

De operationibus gratiæ Divinæ.

3. *Vidit hominem sedentem in telonio. Quod sel ortens fuit in nostro*
Aa 2 Hoi